

berg  
18





16

1.

2.

3.

4.

5.

168

1.

2.

3.

4.

7





DISPUTATIO INAUGURALIS<sup>28</sup>  
JURIDICA<sup>21</sup> 1685, 3.  
*De*

HOMICIDIIS,

*Quam*  
Sub præsidio Divini Numinis

EX  
DECRETO & AUTHORITY  
MAGNIFICI EXCELLEN-  
TISSIMI & AMPLISSIMI ICTORUM OR-  
DINIS IN ILLUSTRIS ET CELEBER-  
RIMA MARBURGENSIUM  
ACADEMIA,

PRO  
*Summis in utroq; jure honoribus ac privilegiis Doctoralibus  
rite obtinendis,*  
Publicæ ac solenni DN. PROFESSORUM  
censuræ

*In Augusto Ictorum Collegio submittit*  
JEAN MATTHIAS  
HERSCHEMAN,  
Ravensbergâ-Westphalus.


*Ad diem Febr. ANNO 1685.*

*Marburgi Cattorum,*  
Typis JOHANNIS HENRICI STOCKENII.









# I. N. D. N. J. C.

§. 1.



**H**omicidium non tam à *Definitio nominalis.*  
 cadendo, quam cædendo ita dictum,  
*l. 51. pr. ff. ad l. aquil.* vocatur aliàs cæ-  
 des, occisio, exanimatio, internecio, in-  
 terfectio, *l. 15. l. 16. ff. l. 5. C. ad leg. corn.*  
*de sic.* Germanicè ein Todschlag / Ent-  
 leibung eines Menschen / Et homici-  
 da Sicarius appellatur, à sica genere  
 gladii brevioris seu cultro ferreo, quã-  
 vis *in l. corn.* Sicarius pro omni Ho-  
 micida accipitur, licet non sicã, sed te-  
 lo, aut quocunq; instrumento cædem

fecerit vide *Wesemb. h. t. n. 3.* Telum quoque in hâc materiã non tantum  
 significat id, quod arcu mittitur, sed omne, quod manu jacitur, sive lapis  
 sit, sive lignum, sive ferrum, & in genere qualecunq; quod nocendi a-  
 nimo habetur, sive sit instrumentum lethiferum tödlich Gewehr und  
 Waffent / sive minus, & tale quod non læsioni, sed operis destinatum est,  
 Ein nicht tödlich Gewehr / §. 5. *inst. de publ. jud. l. 233. de V. S. l. penult. §. 1.*  
*de vi pub. l. 54. §. 2. ff. de furt.* Licet enim ad inducendam doli præsum-  
 tionem hæc distinctio valde accommodata sit, ad ipsum tamen homi-  
 cidium constituendum non attenditur, sed sufficit, quòd dolo malo cæ-  
 des admiffa sit. Tripliciter autem ut plurimum homicidii vocabulum ac-  
 cipitur. Primò, pro quocunq; malo animo, & motu iniquo ad nocen-  
 dum Fratri, quod spirituale vocant homicidium. Secundò, pro cæde  
 hominis quâcunq; sive licita sive illicita, quarum prima, utpote lege  
 permittente facta nullam pœnam, quin potius honorem & Gloriam me-  
 retur vide *c. 8. caus. 23. q. 5. l. Grachus C. ad l. jul. de adult.* Tertiò spe-  
 cialius pro violenta hominis interfectione, & vitæ ademptione illicita, ut

A 2

Homi-



Homicida sit, qui dolo malo Hominem vere occidit, *l. 1. pr. ff. ad l. corn. de sic.* Et hoc homicidium corporale vocatur *Matth. Wesemb. ff. ad l. corn. de sic. num. 5.* quæ acceptio uti frequentior, ita hujus potissimum loci est.

*De ratio rea-  
li.*

§. 2. Et in hâc frequentiori & potentiori acceptione definitur crimen publicum, quo Homo cujuscunque sexus, ætatis, aut conditionis dolo malo à sciente & volente occiditur *l. 1. §. 2. l. 14. l. 16. ff. ad l. corn. de sic. l. 1. & penult. C. eod. junct. l. 1. ff. de pub. Ind. §. 5. instit. eod.* Aliâs in generaliore sensu definiri potest cujuscunque Hominis interemptio, meritò autem per crimen publicum definitur, quia lege publicorum Judiciorum, corneliâ scilicet, & *const. crim. Caroli. V.* non modo notatur, sed & nominatim publicum constituitur; perniciosum enim est in ipsum Deum, cujus imago violatur. *c. interfecisti 2. X. de homicid.* Damnosum in Rempubl. quæ membris suis injustè orbatur *arg. l. 1. ff. solut. mar.* Et Homicida ipse innocenti, & à terra ad coelum clamante contaminatur sanguine, quo effuso terra polluitur, ita ut non aliter reconciliari Deo possit, nec reatus expiari, quàm per sanguinem Homicidæ, vel blandientis Judicis rursus effusum. *Numeror. cap. 25. in fin. & c.* Cur autem rubrica *ff. & C. de sicariis* inscribatur & non de Homicidio rationem exponit *Mynsing. in §. 5. instit. de pub. Ind. n. 2.* Reliqua quæ ad definitionem explicandam pertinent, ex infra tradendis patefcent.

*Divisio.*

§. 3. Varias Homicidii divisiones varii tradunt, & quidem primò quod sit: *vel spirituale, vel corporale arg. c. 25. & 28. de poenit. dist. 1. Secundo vel verū vel quasi,* illud est cum Homo reipsâ occiditur; hoc verò consistit in solo affectu, animo & proposito, E. G. si quis hominis occidendi gratiâ cum telo ambulet *l. 1. pr. ff. ad l. corn. de sic.* Venenum conficiat, vendat, habeat. *lib. 3. pr. d. t. de quo infra pluribus,* Tertio est *vel voluntarium vel involuntarium,* illud (quod etiâ deliberatū & dolosum ein vorsätzlicher Todschlag vocatur) est quod ex proæresi animo & proposito occidendi dolo malo committitur; prout autem quis vel ipse manu propria vel per alium occidit est quoque homicidium hoc *vel mediatum seu directum, vel immediatum seu indirectum;* posterius rursus est *vel simplex, vel qualificatum,* quod cum singulari & improbiori malitia conjunctū est. V. G. latrocinium, Veneficium, Parricidium & c. Prius, scilicet mediatum, est, quando quis per alium interfectionem procurat, ei que dolo malo causam dat ope, consilio, mandatove assistens, pecuniâ vel aliâ re lucrosâ ad id datâ vel promissâ, & hoc itidem *vel simplex est, vel qualificatū*

§. 4.



§. 4. *Involuntarium* tandem est, quod citra interficientis animum & propositum fit, & rursus est vel ob solutè tale, vel secundum quid, quorum illud committitur vel primò mentis imbecillitate & inopiâ V. G. ab infante furioso l. 12. ff. ad l. corn. de sic. Vel secundo casu inopinato, & Vocatur *Casuale* Ein ungefährer Todschlag / quod citra animum occidendi committitur p. l. 1. & 5. C. ad l. corn. de sic. & hoc itidè est vel merè tale, quando quis id facit, ex quo cædes hominis citra ullam culpam forte fortuna sequitur. Exemplum est in §. 3. & 4. inst. ad l. aquilianam, vel secundum quid, id quod culposum nominant Eine Entleibung / so auß Unvorsichtigkeit und Geilheit wider des Thäters Willen geschicht / cum quis non quidè animo occidendi, culpâ tamen interveniente vel præcedente interficit, sive dat operam rei illicitæ, quæ ad eum casum, licet non necessario, aliquantulum tamen tendit, sive rei licitæ, non tamen adhibet debitam diligentiam l. 1. ff. de his qui effud. l. 7. ff. ad l. corn. de sic. ubi Iustus Paulus exempla recenset, quamvis accurate loquendo homicidium culposum ab eo casuali, quod culpa aliqua præcessit, differat, inde hoc ultimum ad differentiam illius improvisum vocat, inque pœnis differentias notat Carpz. pr. crim. p. 1. q. 27. n. 54.

§. 5. Prout autem culpa est vel propria hæcque vel lata, levis vel levissima vel aliena, ita quoque Homicidium culposum vel propriâ vel alienâ culpâ commissum dicitur: V. G. Quando superior vel potentior metu mortis, aut aliis minis justum metum incutientibus cogit aliquem ut Homicidium committat. Homicidium tandem *involuntarium secundum quid est* quod quodammodo coactè fit, ad vim & injuriam avertendam vel ex officii necessitate ad coercendos facinerosos, aut etiam ob legitimam causam, & vocatur necessarium seu coactum Ein abgenöthigter Todschlag. Gail. 2. obs. 110. n. 9. l. 3. ff. de just. & fur. De quibus divisionibus quid sit sentiendum, ex infra dicendis patebit.

§. 6. Causam efficientem moralem constituit animus & propositum Homicidæ malevolum; sicut enim animus & intentio negotia & actus humanos aliàs distinguit arg. l. 10. §. 1. de neg. gest. l. 79. ff. de R. I. ita quam maximè in delictis, & animus potissimum considerandus, non exitus p. l. 14. ff. ad l. corn. de sic. Delictum siquidem absque voluntate non committitur, & nulla est malitia, quæ non ex voluntate procedat, utpote quæ præcipua est in omni peccato, dirigitque actus humanos c. 1. caus. 15. q. 1. inde est quod delicta voluntate distinguantur. c. cum voluntate X. de sent. excom. l. 53. & 25. ff. de furt. l. 33. ff. de inj. vide Carpz. pr. crim.

Causa efficiens moralis.



p.1.q.1.n.17. Et dolus de essentia delictorum esse dicitur. l. 7. ff. ad l. corn. de sic. Quod in tantum verum est, ut si deficiat dolus, licet culpa lata adsit, non tam verum quam potius quasi delictum accipiendum sit, ut ex §. 1. & 7. inst. de obl. quæ ex delict. §. 1. inst. de vi bon. rap. junct. pr. inst. de obl. quæ ex delict. l. 15. ff. de judi: abunde colligitur. Cum autem dolus ad formam quoque pertineat, quæ de eo dicenda restant, eo reservabuntur.

Causa physica est Homo.

§. 7. Causa physica vel subjectum activum est Homo dolosè vel alium vel semetipsum occidens; dummodo juncta trad. Th. preced. doli capax sit, & mentis compos; nullus autem in hoc atroci, horribili & detestabili crimine Personæ respectus habetur l. 3. C. de Episcop. aud. & Matth. 26. adde ord. Carol. V. art. 137. in verb. Einen jeden Mörder und Tod-

eiuscunque sexus,

schläger; unde non refert sitne 1. Mas an Fœmina arg. l. 195. ff. de V. S. Quamvis enim plurima privilegia ab Imperatoribus hisce concessa legamus; ea tamen taliter non extendenda ut ad delinquendum invitent; sitne 2. dives an pauper, 3. Clericus sive laicus cap. 10. X. de jud. c. 1. X. de homicid.

fortuna, conditionis,

Dignitatis.

§. 8. Sive 4. sit Nobilis, sive ignobilis, hinc Joabum nobilem & in summâ militari dignitate constitutum Rex Salomon ob effusum sanguinem innocuum morti tradit. 3. Regum. 2. v. 31. 3. Reg. cap. 21. quamvis enim alias dignitas & splendor nobilitatis insignis sit, qui etiam ad mitigationem pœnæ faciat, id tamen ad pœnas arbitrarias restringendum, non verò ad eas, quæ jure Divino & humano determinatæ, uniformes & taxatæ sunt, extendendum. Quapropter merito notandi Poloni (si vera sunt, quæ de iis tradit Crusius de indic. delict. p. 2. c. 20. n. 27.) uti etiam Bohemi, qui Hominis vilioris vel mancipii cædem à Nobili commissam ære luendam censent, quam perversam licentiam in vigore suo adhuc dum durare contra Hieron. Trentler, defendit laudatus Auctor num. seq. 28. Longe rectius censet optimus Imperator Carol. V. qui aliquando interrogatus quid statuendum de Nobili quodam Homicidii reo, respondisse fertur, non aliter quam cum alio Nebulone procedendum esse, referente eodem Crusio d. l. n. 26. Damnandum itaque Statutum quod homicidium pecuniariâ pœnâ expiare permittit; hoc enim nihil aliud est, quam homines propter dignitatem alias inæstimabiles certo precio venales exponere, & ad necandum invitare, hinc quamvis quamplurimis in auth. habita C. ne filius pro patre: recensitis privilegiis gaudeant quoque Studiosi, nullibi tamen exemptionem à pœnâ homicidii illis indultam legimus, sed quo frequentius inter computationes, nocturnas discursiones, Belluinasque vociferatio-



ciferationes se invicem ad duella provocare & necare soleant, tanto seve-  
rius in eos animadvertendum esse docet *Carpz. Jurispr. forensi. p. 4. const.*  
*9. defen. 5. & omnino in praxi crimi. p. 2. q. 82. n. 67. ubi præjudicia recenset.*

§. 9. Nihil quoque refert, an persona occidens sit vera vel mystica,  
Universitas puta, vel collegium, hæc enim legitimè convocata æque de-  
linquunt & puniri possunt ac privatus & una persona *l. 9. §. 1. ff. quod met.*  
*caus. l. 160. ff. de R. I. auth. item nulla communitas. C. de Episc. & Cler.*  
Nihil denique refert, quis ipse occidat an per alium *l. 1. §. 11. de vi & vi arm.*  
*l. 3. §. 11. eod. l. 15. ff. ad l. corn. de sic. c. 72. de R. I. in 6.*

*Nec refert  
sitne persona  
vera an my-  
stica.*

*Ipsene occidat  
an alii man-  
det.*

§. 10. Hic tandem magna & inter Doctores multum agitata sese  
quæstio offert, quid sentiendum, cum vulneratio tantum mandata, occi-  
sio verò expressè prohibita sit, Mandatarius verò mandati fines excesserit,  
& occiderit, an Mandans tantum de vulnerato an quoque de occiso te-  
neatur? Distinguendum puto *cum Bachov. ad Treutler. Vol. 1. disp. 27. Th.*  
*3. lit. G.* An Mandatarius absque mandato suâ voluntate delictum fuisset  
perpetraturus, hocque mandans ex indiciis certo crediderit, & non tene-  
bitur de occiso, quia mandatarius non quod alius jussit, sed quod ipse ex  
propriâ irâ machinatus est, expedit; An vero Mandatarius delictum  
proprio motu non perpetrasset, & rursus interest, an nempe mandatum  
fuerit datum indefinitè sine armorum & partis corporis, cui vulnus infli-  
gatur determinatione; an verò cum designatione instrumenti & corpo-  
ris partis; priori casu sententia negans pro veriori habenda *per l. 1. §. 3. ff. ad*  
*l. corn. de sic.* non enim dici potest verum animum occidendi habuisse  
eum, qui id non mandat, ex quo mors necessariò sequitur; Sed eo ipso  
dum mandat vulnerationem in genere, necem verò expressè prohibet,  
leve tantum vulnus infligi, non verò lethale, non in capite, sed in aliâ cor-  
poris parte mortis periculo non obnoxia, non instrumento ad necem  
apto, sed alio quopiam mandasse censetur. *adde l. 1. ff. & l. 7. C. ad l. corn.*  
*de sic.*

§. 11. Posteriori verò casu rursus interest, an mandans vulnerationem  
mandaverit gladio aut alio lethali instrumento, quod tam per se, quàm ra-  
tione modi utendi & aliarum circumstantiarum ad mensuram mandati re-  
gere non fuit in libertate Mandatarii; an verò flagellis, alapis, baculis, vel  
alio instrumento non lethifero percuti jusserit; priori casu, quia adest ani-  
mus malitiosus ad id ex quo proximè immediate, & fermè necessario mors  
sequitur, prætereaque res est mali Exempli, mandans quoque pro vero  
Homicidâ habendus est, & ordinariam pœnam neutiquam evadet. *l. 15. ff.*  
*ad l.*





*ad l. corn. de sic. l. 38. §. 5. ff. de poen. arg. l. 6. C. ad l. jul. de vi pub. l. 5. C. de accus.* Cum enim is, qui instrumento lethifero vulnerare tantum intendit, si præter opinionem occidat, Homicidii reus est. *l. 15. ff. ad l. corn. de sic.* quanto magis ergo mandans ut pote qui longe gravius deliquit quàm mandatarius; Ille enim in se ipsum, in Mandatarium; quem corrumpit, & in occisum lævit; Mandatarius verò non nisi in se & occisum peccat *Farin. pr. crim. p. 5. q. 135. n. 6.* Hoc verò casu quia præscriptum modum servare fuit in potestate Mandatarii & Mandator neq; in genere, neque in specie, neque primariò, neque secundariò de Homicidio cogitavit, ideo quoque non ordinariâ L. corneliæ poenâ, sed extraordinariâ tantum pro arbitrio Judicis afficiendus erit. *l. 1. C. ad l. corn. de sic. l. 7. C. eod. l. 1. §. 3. ff. eod. c. fin. de homicid. in 6. adde latius Carpz. pr. crim. p. 1. q. 4. & c.*

*An auxilium  
& opem ferat.*

§. 12. De eo, qui auxilium & opem fert quæritur. Dist. puto, an auxilium propinquum & immediatum, & opera cooperativa delicto præstita sit & quidem scienter & animo participandi, an vero remotum tantum auxilium fuerit, & in ipsum delictum non directum aut non scienter præstitum; priori casu homicidium verum committit auxiliator, non verò posteriori; hinc etiam diversa poena, attento quod ea delicto veniat commensuranda, eoquæ nec remissior nec gravior esse debeat *per l. 11. ff. de poenis* infligenda erit; Nihil autem refert, an ante delictum commissum, an in actu delinquendi auxilium feratur vide *Carpz. pr. crim. p. 2. q. 87. per tot.* ubi explicat, quodnam dicatur auxilium proximum & remotum.

*Aut nudum  
consilium det.*

§. 13. Dicta de auxilio, eadem quoque de consilio absque quo Homicidium non fuisset commissum, exaudienda erunt. *l. 3. ff. ad l. corn. de sic.* Sola autem scientia criminis sive commissi, sive committendi ne quidẽ in homicidio qualificato parricidio puta vel latrocinio sufficiet; nemo enim tenetur regulariter delicta revelare *c. placuit. caus. 6. q. 2. l. penult. ff. de furt.* Et quamvis Pater, Frater &c imò quicumq; extranei dehortari obviam ire, & impedire debeant, ne crimina committantur *l. 1. §. sed in eo. 5. ff. ad Silan.* Exinde tamen non sequitur, illos illico reos Homicidii, ejusque poenæ obnoxios fieri, si sciverint & non revelaverint contra textum express. in *l. 2. ff. ad l. pomp. de parricid.* Nec facit textus in *l. utrum 6. d. 1. & §. 6. inst. de publ. jud.* quibus in Parricidio in contrarium movetur *Math. Berlich. p. 4. concl. 6. n. 4.* Resp. enim, illum demum conscius esse, qui de delicto participat, *l. 16. prin. ff. de poenis vid. eleg. Carpz. pr. crim. p. 1. q. 11. n. 55.*

*Excipiuntur  
primo furiosi.*

§. 14. Quoniam autem juxta dicta §. 6. animus & propositum delinquendi



quendi requiritur, facile colligere est, huic crimini obnoxios non fieri  
 Primo furiosos, utpote quos fati excusat infœlicitas, imò absentium & qui-  
 escentium loco habentur, omnique intellectu & voluntate destituuntur,  
*l. 12. ff. ad l. corn. de sic. l. 40. ff. de R. l. 1. §. 3. ff. de jure Codicil. l. 13.*  
*ff. de offic. Pras. ibique Gothofr. lit. 5.* Distinguendum tamen, an delictum  
 in furore, ante, vel post furorem sit perpetratum; priori casu extra omnem  
 pœnam sunt, licet post delictum sanam mentem receperint; animus enim & vo-  
 luntas tempore delicti commissi spectatur *l. 53. ff. de furt. l. 1. §. 3. ff. ad l. corn.*  
*de sic.* dummodo tamen verè furiosi fuerint, & de eo perfecte constet; Fa-  
 tui enim & dementes, qui omni intellectu non carent, licet mens obtusior  
 appareat à pœna quidem ordinaria, non tamen extraordinariam excusan-  
 tur; quia verò furor facti est & non rarò falsò simulatur, ideo allegans il-  
 lum specificè probare debet *p. l. 2. C. qui test. fac. pos.* quâ in re bonus  
 Judex periti Medici arbitrio multum tribuet; imò etiam præcedentibus  
 iudiciis legitimis per tormenta furoris simulationem detegi posse tradit  
*Brunnem. de proces. in q. c. 8. memb. 1. n. 86.* Quod si vero tempore fu-  
 roris intermissi, deliquerint, pœnam ordinariam non effugient; præteritus  
 enim furor nullam tribuit excusationem videatur *Carptz. pr. crim. p. 3.*  
*q. 145. n. 39. Gailius 2. obs. 110. n. 21.* hoc tamen casu probatio incumberet  
 accusatori tempore intermissi furoris crimen commissum fuisse. *l. 22. ff. de*  
*probat. l. 2. C. eod.* qui enim semel furiosus impostero talis judicatur. *c. ult.*  
*X. de succes. ab intest.*

§. 15. Furiosis comparantur Melancholici, desperatæ & emotæ  
 mentis Homines, absurda & tristia sibi fingentes, uti ex *Petro Heigio* refert  
 nonnullos *Carptz. d. l.* qui se esse Lupos, Canes, Vasa fictilia, cerea, vitrea  
 sibi persuasum habuerunt, & hos ab extraordinariâ pœnâ non esse immu-  
 nes quamvis doceat *Carptz. d. l.* eo quod extra omnem malitiam non ver-  
 sentur, rectius tamen cum *D. Habnio ad tit. ff. de pœnis.* disting: an tan-  
 tum tristes, morosi & tetrici sint, hominum societatem fugientes, & hi  
 ab ordinariâ pœnâ vix erunt immunes, an propter animi mœrorem hor-  
 renda sibi imaginantur; & vera sunt, quæ tradit *Carptz. d. l.* An insuper  
 deliria loquantur & agant absque tamen furore, & nullatenus sunt punien-  
 di. Ad furiosos referunt cœco amore æstuantes & corrivales suos occi-  
 dentes, eo quod amor sit species furoris, & amantes sine sensu vivere di-  
 cantur *textus est expres. in nov. 74. c. 4.* nihil enim furore amoris vehe-  
 mentius, quem retinere Philosophiæ est perfectæ, vide hanc sentent. late  
 defendentem *Tiraq. trac. de pœn. temp. c. 4. per tot.* quin tamen contrarium

Secundo me-  
lancholici.

Tertio aman-  
tes.

B

ver ius



verius sit non videtur dubitandum, plerumque enim ex corrivalium impatientia, nisi tamen æstus amoris in furorem fuerit conversus ejusmodi Homicidia contingere assolent.

*Quarto Ebrii.* §. 16. Hisce non immerito adnumerandi videntur Ebrii; quæ enim sobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus; nesciunt quid faciunt qui nimio vino indulgent, jacent sepulti *textus est in c. sane discimus 7. caus. 15. q. 1. can. inebriaverunt d. l.* Sicut enim is, qui vel libidinis vel injuriandi animo Meretricis vel alterius januam effringit, ut sic ex apertis ædibus res quædã subtrahantur furti non tenetur, indubitati tiquidem juris est eum furti non teneri, qui nec furatus est, neque animum vel affectum furandi habuit *per l. verum est 39. ff. de furt.* Ita quoque Ebrius propter homicidium in Ebrietate commissum ordinariè non est plectendus.

§. 17. Distinguendum tamen hic & probe ponderandum, an quis præter opinionem & vini ignoratã vi, an verò habitu quodam, insuperque sciens, se aliis hoc casu periculosum esse, se inebriaverit; Hoc posteriori casu frustra se excusabit Homicida, cum sciens prudensque ad inimicum, forte eo tutius trucidandum sese inebriasse censeatur; permittendum enim non est ut quis ebrietate utpote vitio quodam, per se satis detestando pro libero instrumento ad malitiam utatur; priori casu cum Ebrietas sit tantùm peccatum veniale *c. unum §. criminis dist. 25.* sic quoque commissum Homicidium utpote à dolo alienum ordinariè non est plectendum, cum peccata mortalia accipiant species, non ab iis, quæ per accidens eveniunt præter intentionem, sed ab eo quod per se est intentum *d. §. criminis*, Ut non semper prout recte monet *Zæsius comment. ff. ad l. aquil. n. 12.* vinosæ excusationi sit indulgendum, cum constet plerosque ad suetudine vini, rationis & Judicis usu non privari, sed rem suam non raro benè agere. Cæterum Ebrietas tanquam pestis Deo pariter & Hominibus meritò invisã, & præprimis fœda illa sub dulci quidem, sed vano hauriendæ cujusdam sanitatis prætextu inveterata Germaniæ corruptela potius quam consuetudo, utpote malorum omnium fomes & incitamentum sollicitè fugienda, ne brutis hæc in parte pejores esse videamur, nam.

*Ut bibat haud sitiens vel edat cum ventre repleto  
Verberibus cogi, bestia nulla potest.*

*Quinto Infantes.*

§. 18. Infantes etiam utpote quos consilii excusat innocentia *per l. infans 12. ff. ad l. corn. de sic.* huc recte referuntur, doli quippe sunt incapaces, & fu-



ces, & furiosis non absimiles l. 5. §. 2. ff. ad l. aquil. & quidquid agunt ignorare censentur §. sed quod. 10. inst. de mut. stip. Idem de infantia proximi-  
 his tamen si malitiæ aut doli argumenta quædam evidentia appareant, acris virgarum castigatio Parentibus committatur prout hoc de Jure  
 quoque Saxonico præjudicio confirmat *Carpz. pr. crim. p. 3. q. 143. n. 17.*  
 Quæritur autem de pubertati proximis. Resp. quamvis doli sint capaces, ordinariâ tamen legis pœnâ non esse plectendos; ætas enim cum  
 excusationem mereatur ad mediocrem pœnam Judicem perducere debet, *textus est. expres. in l. 37. §. 1. ff. de min.* & terreri solum habenâ & ferulâ cædi solent. *p. l. 1. §. 33. ff. ad Silan.* Delicti enim Turpitudinem non  
 adeo ponderant; imo inviti quodammodo delinquere censentur, vide *Farinac. pr. crim. p. 3. q. 92. n. 3.* Secus dicendum videtur, si in proximo 14.  
 annis malitia & delictum tam enorme & grave appareret, ut ex circumstantiis de malitia ætatem omnino supplente indubitanter constaret; eo  
 enim casu ordinariè in eum animadverteretur; prout hoc tam ex jure Civili, quam Sanctione Carolina & constitutionibus Saxonis per præjud.  
 Scabin. Lips. demonstrat *Carpz. pr. crim. p. 3. q. 43. n. 49.* Verba Carolina hæc sunt. *Wo aber der Dieb nahe bey 14. Jahren alt wäre / und der Diebstal groß / Und die Umstände so gefährlich dabey gefunden würden / daß die Bosheit das Alter erfüllen möchte.* Unde existimo in criminalibus, imo in omnibus negotiis, quibus intellectus & judicium requiritur ætatum periodos non posse certo annorum numero circumscribi, sed id tantum arbitrio Judicis relinquendum esse, ut ex circumstantiis æstinet, qualisnam intellectus in agente deprehendatur propter *textum expres. in §. penult. inst. de obl. quæ ex delicto l. 23. ff. de furt.* Unde recte quoque monet. *Carpz. d. l.* Judicem conscientia suæ melius consulturum, si ratione requisitorum dubius, mitiorem pœnam decernat. *adde l. 4. ff. ad Silan.*

Sexto infantia proximi,

Septimo pubertati proximi.

§. 19. Quæ de infantibus dicta sunt, eadem quoque ad decrepitos Senes extendit, eosque infantibus adæquat *Gail. 2. obs. 110. n. 33. arg. l. 3. §. 5. ff. ad l. corn. de sic. junct. l. 5. ff. de jure immunit.* Contrarium tamen verum est, quamvis enim in Senibus mentis imbecillitatem agnoscamus, idcirco tamen omnem honestatis memoriam, sui que in rempl. debiti recordationem (nisi de eorum deliriis per signa evidentissima constet) in iis extinctam esse dicendum non est; Nec facit quod Patriciis & dignitate corruscantibus comparentur Senes, & apud Romanos neque generi ne-

Quibus octavo non rectè annumerantur Senes.





que pecuniæ præstantior honos tribui, quàm ætati solitus, Majoresque à minoribus culti sint ad Deum prope & Parentum vicem. *d. l. 5. ff. de jure immunit.* ibique Gothofr. lit. A. & B. Attamen in delictis certam & determinatam pœnam habentibus nullam dignitatis rationem haberi dictum supra, atque ita textus in contrar. alleg. *per l. 3. C. de Episc. aud.* mores & consuetudinem generalem abrogatos esse constat. De minoribus, quin ordinariæ pœnæ subjiciantur non est dubitandum; doli enim sunt capaces, & dolosè delinquere dicuntur *per text. express. in l. 9. §. 2. & l. 37. §. 1. ff. de min.* quod si tamen circumstantiæ mitigationem pœnæ suadentes deprehendantur, Judex à rigore merito recedit propter simplicitatem & consilii imbecillitatem *l. 37. §. 1. in med. de min.*

Nec Nonò Mi-  
nores.

Bene verò  
dormientes &  
noctambulones.

§. 20. Dormientes denique & noctambulones non delinquere & ab omni insuper pœnâ immunes esse, in confesso est, cum constet dolo eos & malitiâ carere, ut factum eorum naturæ potius operantis, quàm Hominis esse dicatur *clement. unic. de homicid.* Quod si tamen sciant sese dormientes surgere, damnumque dare solere, non tamen ad hoc cavendum omnem adhibeant industriam, arma V. G. semovendo, Januas claudendo, &c. ob culpam hanc pœnam extraordinariam non evitabunt. De hisce & similibus personis vide elegantissimè *Richter p. 1. decis. 1. per tot.*

Obiectum est  
homo cujus-  
cunque condi-  
tionis, sexus,  
fidei

§. 21. Materia circa quam vel subjectum passivum constituit Homo eadem patiens *l. 1. princ. ff. ad l. corn. de sic.* cujuscunque sit primo conditionis, dives an pauper, nobilis an plebejus *d. l. 1. §. 2. liber an Servus l. 11. §. 1. & 2. ff. ad l. corn. de sic. l. 23. §. 9. & l. 3. C. ad l. aquil.* Cujuscunque etiam secundo sit sexus *arg. l. 152 & l. 195. ff. de V. S.* Aut tertio fidei, Christianusne, Turca aut Judæus; omnes enim ad Dei imaginem sunt conditi, *Genes. 1. v. 27.* Et omnibus sanguis inest humanus, adeoque in omnibus obtinet Divinum effatum; qui humanum effuderit sanguinem, &c. cujuscunque demum sit ætatis *l. si quis. 3. C. ad l. corn. de sic.*

ætatis.

Quid dicen-  
dum de abi-  
gente partum?

§. 22. Ubi puchra sese quæstio offert, an abigens partum huic legi se obnoxium reddat, quod nonnulli indistincte affirmant, eo quòd nobis Christianis Homicidio semel interdicto, etiam utero conceptum dum adhuc sanguis in hominem dilabitur, dissolvere non liceat, & quod qui ita speratur ante vitam necetur *l. 1. §. 9. ff. de vent. in poss. mitt. §. 2. vers. sed etsi certum, sup. eod.* Sententia tamen distinguens inter partum animatum & inanimatum juri Divino, Civili & Canonico uti convenientior, ita quoque in *constit. Carol. V. art. 133.* expresse probatur. Vid. *omnino c. 20. X. de homi-*



*de homicid. c. quod vero caus. 32. q. 2.* ut in eum demum ordinariâ pœnâ, qui partum animatum, in eum autem, qui inanimatum abigit mitiori, extraordinariâ, relegatione puta, fustigatione vel simili pro Judicantis arbitrio animadvertatur *Vid. Matth. Stephani in not. ad ord. Car. V. art. 133.* Hinc Jus Saxonicum, ad hoc ut fœtus pro animato habeatur medium gestationis uteri tempus requirens, neque ratione neque juris auctoritate destituitur, quamvis enim communiter placeat ante id tempus partum esse animatum; quia tamen de hoc, ante ejus motionem in utero, quæ ut plurimum circa medietatem contingit, certò non constat, ut loquitur *Augustin. in c. quod vero 8. caus. 32. q. 2.* idcirco eo jure [ siquidem de corpore delicti ante omnia verè & perfectè constare debet ] ad ordinariam pœnam nullatenus devenitur.

§. 23. Quid autem si Mater periculosè adeò decumbat, ut aliâ ratione evadere nequeat, quàm partus abortione, an ejusdem abortio sit licita quæritur? Placet præ cœteris sententia *Berlichii p. 4. concl. 3. n. 45.* statuentis quòd nullum remediũ nocivũ adhiberi possit; idem statuendũ de eo, qui ita periculosè vulneratus, ut reconvalescentiæ nulla spes superfit; melius etenim taliter afflicti & hominis miserrimi conscientiæ consulitur, si & precibus auxilium Dei imploretur & liberatio spe & patientiâ expectetur, quàm ut desperabundus Dei consilium antevertere tentet; & quamvis necessitas leges laxet; id tamen ad ea, quæ in se inhonesta & turpia, jureque Divino & naturæ prohibita sunt, nullatenus extendendum; *Sicut enim in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti, uti hoc ex Lactant. pulch. refert Pufendorff de jure nat. & gent. lib. secundo. c. 4. §. 5.*

§. 24. Cœterum ad objectum quoque pertinet Homo se ipsum interficiens; proprecidium siquidem est grande scelus, horrendum & detestabile, qui enim alium occidit, corpus tantum perdit; qui verò sibi ipsi violentas manus infert, corpus cum animâ ad gehennam ignis præcipitat, *uti ex Damhond. refert Carpz. pr. crim. p. 1. q. 2. n. 25.* Hinc est quod omnia Jura tantum crimen abominentur *Ephes. 5. v. 29. c. 9. caus. 23. q. 5. l. liber Homo 13. ff. ad l. aquil. & c.* Illud autem facile est, quod mortuum Hominem percutiens, vel monstrum, quod contra Hominis formam perverso more prognatum est, visu & vagitu novum, non humanum, sed alterius animalis præ se ferens formam *l. 135. ff. de V. S.* proptereaque appellationem

*Imo etiam se ipsum occidens.*





lacionem hominis non meretur *l. non sunt liberi 14. ff. de stat. hom.* Homicidium non committat, nec legis corneliae poenam incurrat.

*Forma homicidii committendi consistit primo in actuali occisione.*

*Conatus non sufficit.*

§. 25. Forma alia est homicidii perpetrandi, alia verò perpetrati probandi, ad illam duo requiruntur primò actualis occisio *l. 30. §. fin. ff. ad l. aquil. l. 25. & 51. eod. constit. crim. art. 147.* facit textus express. *Exod. 21. v. 12.* Sola enim cogitatio poenam non meretur; factaque sola censenda esse atque in Judicium vocanda, voluntates nudas inanesque negligendas neque poenis fieri obnoxias ex *Gellio* tradit *Gothofr. ad l. cogitationis 19. ff. de poenis.* Quod tamen unicè de foro exteriori & soli, non verò interiori exaudiendum, aperuit enim Dominus omnem iniquum motum ad nocendum Fratri in homicidii genere deputari *c. homicidium de poenit. distinct. 1.* & nihil tam invisum Deo quàm animus incestus, & mens impura. Ut a. hoc eo melius dispiciatur, Distinguendum videtur inter conatum nudum, & eum, qui ad actum aliquem exteriorem prorupit, prior sive verbis & signis sit manifestatus, sive in mente retentus, sive rursus approbatus, sive improbatus extra omnem legis poenam est; substitit enim hic conatus in terminis nudæ cogitationis; neque ulli damnum realiter illatum ut regula *l. 18. ff. de poen.* adhuc meritò obtineat.

*Licet ad actum exteriorem eruperit.*

§. 26. Circa posteriorem conatum subdistinguendum, an ad actum aliquem à delicto remotum, an verò proximum devenerit; primo casu nihil refert, an actus ille delictum præparet directo V. G. per comparationem armorum animo occidendi factam, onerationem sclopeti &c. an verò obliquè, & per intermediam Personam, cui consilium suggeratur & delictum suadeatur; dummodo tamen ad effectum non sit deductum; multa etenim intervenire possunt, ne consilium in actum deducatur. Secundo casu, quando V. G. reus non modo omnia ad delictum perpetrandum præparat, sed & ad locum delicto destinatum se confert, animo delictum committendi, tunc enim in homicidio qualificato indistinctè, in simplici verò tunc demum, quando reus cum telo Homini occidendi causa ambulavit, ordinariam de jure Civili locum habuisse satis evincit *l. 1. ff. ad l. pomp. de parricid. l. 1. §. 1. l. 3. princ. ff. ad l. corn. de sic.* De moribus autem & praxi hodierna aliter dicendum, cum si non consuetudine universali, certe particularibus plerorumq; locorum moribus introductū sciamus, quibus consilium & præparamenta homicidii, non æque puniuntur ac delictum ipsum; quod adeo verum est, ut quamvis conatus ad actum proximum illato vulnere perductus, & mala medicamenta sine effectu porrecta sint, non ordinaria, sed fustigationis & relegationis poena locum

*Praxis hodierna.*



locum habeat per trad. *Schneidew. inst. de pub. jud. §. item l. Cornelia v. eadem n. 4. Wesemb. π. ad l. pomp. & parr.* cujus ratio eo nititur, quod crimen nec dum perfectum, & tam graviter respub. læsa non sit. Vide *Zoxium comment. ff. ad l. corn. de sic. n. 4. in fine.*

§. 27. Ea tamen crimina, quæ in Jure nostro atrocissima passim & asperrima vocantur, de quibus ordine vide *Gail. de p. pub. lib. 1. c. 14. n. 19.* hic merito excipiuntur. Quamvis enim non desint, qui in Parricidii crimine ad hoc ut ordinaria pœna infligi possit, vel reiterationem delicti, vel accelerationem mortis, vel grave denique valetudini illatum esse detrimentum requirant, quorum numerum auget *Carpz. pr. crim. p. 1. q. 17. n. 29.* rectius tamen cum aliis contrarium assero. Nam cum in assassinio Teste allegato ipsomet autore *d. l. q. 19. n. 53.* conatus in actum quemcumque exteriorum perductus sufficiat, nihil obstat, quin ubi par vel major est ratio, ibi idem jus statuendum, idemque in parricidio sit affirmandum; quod cum Veteres ne futurum quidem unquam credebant, legimus nullam ideo in Parricidas legem fuisse institutam, quia existimârunt, impossibile esse, ut quis tam immane facinus committere auderet vid. *Myns. comment. inst. de pub. jud. §. alia deniq. lex. n. 2.* Ut regulæ huic generali, quæ in atrocioribus tam naturali quàm Civili jure damnatis criminibus conatum & voluntatem pro delicto punit, licet delictum non sit ad exitum vel effectum perductum, firmissimè sit inhærendum.

§. 28. Cæterum non refert, an quis ipse, an per alium, occiderit. *arg. l. 169. ff. de R. I. arg. l. 3. §. item ff. ad l. corn. de sic.* Neque interest occidat quis, an causam mortis præbeat, ut sunt verba Ulpiani in *l. 15. d. 1. V. G.* Si parentes alimenta liberis denegent, qui inde ferè perierint *l. 4. ff. de agn. & alend. lib.* Veletiam proprios infantes alienæ misericordiæ exposuerint, quam ipsi non habent per *d. l. 4. ff. de agn. & alend. lib.* ubi tamen distinguendū: an expositio liberorum in locum fiat solitarium ab Hominiū conspectu remotum eâ intentione, ut inediâ consumantur, an verò in locum, quo Homines frequenter ambulant *V. G. plateam publicam*, ut alii misericordiâ ducti eos recipiant & alant, priori casu, sive perierint, sive nō, ordinariâ pœnâ esse infligendam non est dubitandum, eo quod crimen sit ab humano sensu alienum, & quod ne à barbaris quidem ullis credibile sit admitti *nov. 153. de infan. expos.* sufficit enim prout dictum *Th. preced.* in tanto crimine ad actum proximum deventum esse; posteriori casu, consuli jubentur collegia JCtorum, quæ pro ratione circumstantiarum arbitrariam pœnam constituent, tradente, *Matth. Steph. comment. ad novel.*

153. n. 5.

Exceptis non nullis casibus

Non refert, ipse quis occidat, an alii mandet

An causam mortis præbeat.



135. n. 5. Et quamvis quoad priorem quoque casum eventu licet, id est morte subsecutâ ad summum fustigatione tales esse exterminandos doceat *Wesemb. in π. ad l. corn. de sic. n. 14. in fine* id tamen cum communibus fere *Dd. traditis*, imo ipsimet *ordinationi Caroli V. art. 132. verbis [Stürbe aber das Kind etc.]* directò contrarietur, non venit attendendum. Idem obtinet si Magistratus pecuniâ corruptus, aut aliàs dolo malo fieri curavit, ut innocens falsis convictus testibus ultimo supplicio afficiatur. Medicum quoque, qui dolo malo adversis medicamentis occidisse Hominem deprehenditur ad instar latronis, punit *ord. Car. V. art. 134. V. Ist als ein fürstlicher Mörder zu straffen* / Hinc poenâ rotæ plecti solere, imò lentis ignibus talem exustum esse *ex Remo referunt Joan. Harprecht ad §. 6. inst. ad leg. aquil. & Matth. Steph. ad d. ord. Carl. V.*

*uti Medicus mala medicamenta praebens.*

*Secundo in animo & proposito nocendi.*

*Occidendi enim animus precisè non requiritur.*

*Nec quoque incertam personam directus.*

*Animum autem nocendi non excusat ira.*

§. 29. Transitum nunc facio ad secundum requisitū, Dolum scilicet, animum & propositum occidendi *per l. 1. §. 1. & l. 3. pr. ff. ad l. corn. de sic.* Ubi quæstionis est, an intentio vulnerandi sufficiat maximè si vulnerans expresse protestetur, se occidere nolle; & quamvis nonnulli id valde plausibiliter negent; rectius tamen (dummodo lethale vulnus inflictum sit) affirmandum erit. Vide *Struvium synt. Civil. ad l. corn. de sic. th. 52.* Voluntas enim cum feratur in id, quod ex percussione immediatè & ferme necessario contingit, vulnerans à dolosâ occisione ejusque poenâ vix erit immunis, accedit quod operam dans rei illicitæ teneatur de omni eo, quod præter intentionem ide sequitur dummodo instrumentum & causa sit ordinata, tendatque ad subsecutum delictum, ita ut percutiens à principio talem eventum facile cogitare potuerit ac debuerit vide *l. si quis 38. §. 5. ff. de poen. l. quoniam C. ad l. jul. de vi pub.*

Hinc nihil interest, erraveritne Homicida in personâ an non, V. G. cum occidere voluerit Titium feriat Cajum; imo quamvis in persona non erret, sed dum inimicum suum armis aggreditur intervenientem aut adstantem casu petat & occidat *arg. l. 18. §. 3. ff. de injur. l. 5. §. 1. de Serv. corrup.* Adest enim & occisio, & animus, si non in specie, saltem in genere in occisionem directus elegantur, *Struvius d. l.* Quamvis feriò contradicat quoad posteriorem casum, *Joh. Harprecht. ad §. inst. 5. de publ. jud. n. 251. usque ad n. 256.*

§. 30. Cum autem variæ dentur causæ vel dolum omnino excludentes, vel excusationem ad minimum inducentes, de aliquibus hoc loci non incommodè agetur & primo quidem de irâ quæritur. Et quamvis nonnulli generaliter affirmare videantur calorem iracundiæ à dolo ejusque poenâ



que pœnâ excusare, eo quod irati toto pectore conturbentur, rationis usque careant & loqui nesciant; ut enim fumus oculos hebetat, ne videre queant ea, quae ante pedes sunt, sic obortâ irâ rationi caligo obfunditur ut se ipsam nullâ cogitatione agnoscere possit uti ex Mundio de diffam: refert Joh. Harprecht ad §. 11. inst. de injuriis. Adde omnino Gail. 2. obs. 110. n. 34. Quin tamen contrarium pro veriori habendum non videtur dubitandum, partim primò propter generalitatem Textuum biblicorum. *Qui humanum sanguinem effuderit &c. ordin. Caroli V. art. 137. ibi. Auß Zorn.* Partim secundo, quod hoc admisso omnia Homicidia manerent impunita, cum vix aliquod detur, quod absque ira committatur. Quod si tamen justâ laceffitus commotione V. G. Pater cujus Filiae nuptæ violatur pudor in suis vel generi ædibus adulterum cum adulterâ uno propemodum actu trucidet, omnino excusatur, quod etenim permittente lege factum est, pœnam non meretur vulg. l. Grachus. C. ad l. jul. de adult. l. 151. ff. de R. I. l. sancimus 25. C. de admin. Tut. Marito autem, quia is conjugalibus Thori injuriâ laceffitus magis furit, non idem concessum, sed hujus impetum nimiumque calorem per fustigationem aliamque extraordinariam pœnam merito refrænant leges. Quia verò leges Civiles talem impunitatem Patri Maritove concedentes, eosdem non statim justitiæ ministros per hoc constituere, sed id solummodo efficere voluerint, ut Homines à tanto crimine eo cautius sibi caverent, ideo Patrem maritumve qui adulteram occidunt in conscientiae foro tutos non esse rectiss. tradit pientis. Ictus Brunnem. ad l. 24. ff. ad l. jul. de adult. adde Joh. Harprecht. ad §. 5. inst. de pub. jud. n. 213. Sanctissima etenim Dei Ecclesia mundanis non adstringitur legibus, gladium non habet nisi spirituales, non occidit sed vivificat, monente Pontifice in c. inter hæc. 6. caus. 33. q. 2.

§. 31. Minimè verò justa causa est, nec pœna ordinaria facile remittitur ei, qui offensorem citra necessitatem occidit, nisi offensio sit valde enormis & vindicta in continenti sequatur, sic provocatus ad duellum, & injuriis gravissimis laceffitus V. G. (*Bist du ein redlicher Kerl / und kein Schelm / so komm heraus und wehr dich meiner*) quamvis comparere non debeat, eo quod Monomachiam omni jure prohibitam, Imperii quoque & Principum constitutionibus sublatam videamus vid. Carpz. jurispr. forens. p. 4. const. 9. defn. 1. Attamen si justâ accensus irâ in certamen cum provocante descenderit, eumque sive fugientem sive stantem, occiderit, à pœnâ ordinariâ immunem censeo cum And. Gailio 2. obs. 110. n. 15. Joh. Harprecht ad §. 5. inst. de pub. jud. ibiq. alleg. Provocans autem

*Nisi justissima.*

*Qualis non est quacumque offensio.*

quamvis



quamvis in ipso certamine succumbat, non tamen prætextu defensionis necessariae ab ordinariâ pœna sese eximet; Cardio siquidem totius necessariae defensionis consistit in probatione principii, quis initio operam rei illicitæ dederit. Eleganter tradante *Carpz. jurispr. forens. d. l. defen. 4.* ratio prioris est, quod inconsultus calor dolo careat. *l. 1. in princ. & §. 1. ff. ad l. corn. de sic.* Et difficile sit justum dolorem temperare *l. 38. §. 8. ff. ad l. jul. de adult.*

*Mulominus  
rixa.*

§. 32. Hinc facile erit colligere quid de Homicidio in rixâ commisso sit statuendum, ubi ante omnia videndum an factâ conspiratione & destinâtâ voluntate occidendi Homini rixam excitaverint & omnes pœnæ ordinariæ, licet unum tantum vulnus appareat, sese obnoxios reddent vid. *Zoesium comment. ff. ad l. corn. de sic. n. 26. Gail. 2. obs. 109. n. 10. P. H. D. art. 148.* Si vero conspiratio non præcesserit, sed in rixâ subito obortâ homicidium perpetratum sit, distinguendû videtur, an liquido de occisore constet, & non est dubium, quin hic solus puniatur: Posteriori casu si de eo non constet, dummodo ab omnibus lethalia vulnera sint inflicta, omnes homicidii reos existimo, sicque vicissim expectent quod alteri fecerunt. *l. nemo 3. C. de Episc. aud. adde d. const. Caroli. V. ibique Matth. Steph.* Quod si autem certò non constet, quis vulnus inflixerit, & aliàs de dolo non appareat, potius est ut teneantur lege Aquiliâ, cum pœnalia in mitiorem plerumque partem sint accipienda, & satius sit mille nocentes dimittere, quam unum condemnare innocentem vid. *præl. Zoesium d. l. P. H. D. d. art. 148.*

*Bene vero in  
justa aggressio*

§. 33. De eo qui ad sui defensionem occidit, Q? Et cum ejus non sit mala intentio, directo enim intendit salutis propriæ conservationem, & secundario tantum ob inevitabilem necessitatem alterius necem (Necessitas autem, scribente *Seneca, est magnum humana imbecillitatis atrocium & omnem humanam legem frangit*) Jura quoque omnia necem in sui defensionem permittant & approbent; dubium non est, quin Homicida propriè non sit, nec ullam pœnam mereatur *arg. l. 55. & 151. ff. de R. I. l. 4. C. ad l. jul. de adult. P. H. D. art. 139. verbis Der ist darum niemand nichtes Schuldig & art. 140. Der mag sein leben ohne alle Straffen etc.* Vim siquidem vi repellere omnes leges omniaque Jura permittunt, estque in ore omni populo contra vim se defendere licitum esse, vide *Schneidervv. inst. de jure nat. gent. & Civil. §. 1. n. 12. Jure imprimis NATURALI. l. 1. ff. de vi & vi arm. GENTIUM l. 4. ff. ad l. aquil. CIVILI l. 4. §. 4. eod. FEUD. 2. feud. 27. c. 1. CANONICO. c. 1. & 18.*  
*in fine*



*in fine X. de Homicid.* Quæ enim ex justis & legibus approbatis causis fiunt, occulto quidem, sed non injusto Dei judicio accidunt, ut ex August. pulch. refert *Matth. Stephan. in not. ad ord. Caroli V. art. 139.* Imò Adulter in flagranti crimine deprehensus, quamvis in re illicitâ & turpitudine notoriâ verferetur, Maritum tamen aggressorem interficiens, servasse moderamen inculpatæ tutelæ non immerito dicitur, quamvis enim occisor ad eadem occasionem dedisse videatur; quia tamen per cautam plerumque & circumspectam ad mulieres accessionem quantum possibile fuit, invasionem viri evitare intendit, extra dolum constituetur, & occasio ista non nisi remota; defensio autem sui, proxima non immerito dicitur; vide omnino *Zæsum comment. ff. ad l. corn. de sic. n. 36.*

§. 34. Tantum autem abest ut occidens injustum aggressorem pœnâ aliquâ afficiatur, ut potius per defensionis omissionem regulariter peccet, non modo in ipsam naturam, cujus præcepta violat, sed etiam reipub. quam Cive privat; Nullatenus enim ab impietatis crimine absolvi poterit, qui ita abjectè de maximo Dei beneficio sentire non veretur; quod ad eò verum est, ut is, qui injustè salutis suæ defensionem omittit secundum Dd. communes, quos refert *Carpzovius pr. crim. p. 1. q. 32. n. 12.* damnetur ac si seipsum interfecisset; neque id in propriis solummodo ædibus, sed in publico quoque, imo in ipsis Ecclesiis permissum est; sic Clericus aggressorem suum in Templo licitè occidit, & postea sacra peragit. *And. Gail. de p. p. lib. 1. n. 19. cap. 8.*

§. 35. Quemadmodum autem uti dictum sine omni sexus, ætatis, vel conditionis discrimine omnibus regulariter concessum est, contra vim sese defendere, adeo ut neque statuto, rescripto Principis vel consuetudine tolli, imo ne ipsi quidem Diabolo si in Judicio esset denegari posset per tradita Dd. relat. à *Farinac. pr. crim. lib. 1. tit. 5. q. 39. n. 50.* Ita quoque hoc jure tanquam liberalissimo naturæ beneficio *l. 1. ff. de vi & vi arm.* contra quoscunque regulariter uti possum; Sic enim primò contra furiosum, dormientem, noctambulonem, ebrios æquè ac sobrios; cum illorum arma æquè ac horum nocere soleant *vide Cothm. volum. 3. resp. 43. n. 51.* Secundo contra foeminam, licet enim improbabilius, virum ad sui defensionem à muliere cogi posse, quippe cum pro viro præsumptivè militet fortitudo & pro foemina imbecillitas, quin tamen virago quædam naturâ ferox, virum effœminatam eousque adigere possit, vix esse dubitandum tradit *Matth. Stephani in not. ad ord. Car. V. art. 144.* verbis *Dann wiewohl nicht leichtlich ein Weib einen Mann zu einer ent-*

C 2

schuldig.

*In tantum ut  
defensionem  
omittens pec-  
cet in consci-  
entiâ.*



schuldigten Nothwehr verurhsachen mag / so wäre doch möglich daß ein grausam Weib einen weichen Mann zu einer Nothwehr dringen möchte. Contra Clericos tertio Religiosos vel Sacerdotes vid. *eleg. c. 3. de sent. ex com. in Sexto.* Contra ipsum denique Papam vel Imperatorem arg. *l. 32. ff. de R. I. Vide Reinking de reg. sec. & Eccles. lib. 1. clas. 1. c. 5. n. 56. Et omnino Gailium qui hâc de re pulchra refert ex Zasio lib. 2. obs. 56. n. 9.* Sic contra Dominum vasallo arg. *feud. 2. tit. 6.* Contra Magistratum subdito, contra Patrem Filio, quia hoc calu Parens contra ipsius naturæ præcepta filium occidere præsumens pater non est, sed latro & impius Parricidal. *5. ff. ad l. Pomp. de parri. ibiq. Gothofr.*

*Dummodota-  
men modera-  
men inculpa-  
ta tutela ob-  
servaverit.*

*Quod consistit  
primo in cau-  
sa.*

*Eaq. justa.*

§. 36. Quamvis autem ( prout ex antedictis patet ) hæc defensio omnibus contra omnes regulariter permiffa sit, ut tamen aggressus omnem ll. pœnam effugiat, legitima esse & requisita legum habere debet, quod Dd. vocant se cum moderamine inculpatæ tutelæ defendere; unde ut cognoscamus an, & quæ pœna sit infligenda; Moderamen hoc ( quale quod certis regulis includi nequit ) Judici ritè considerandum, ejusque determinationi pro circumstantiarum varietate non immerito relinquitur prout consulti responderunt Jcti. Tubigenses apud *Harprecht ad §. 5. inst. de pub. jud. n. 373. in med.* Nonnulla tamen requisita, quæ secundum Dd. commun. in tribus, causâ scilicet, modo ac tempore consistunt, hic addenda. Causa fundatur primò in aggressionem arg. *l. 3. ff. de 7. & 7.* hâc siquidem cessante defensio esse nequit, quamvis id quoque fallere, & citra hoc requisitum certis casibus impunem occisionem esse constet, Exemplum est in naufragio cum duo unum trabem arripiunt, quo uterque salvari nequit, vel si injustè in carcerem conjectus & ad mortem damnatus custodibus occisus & effracto carcere aufrugiat *l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sent. l. 26. ff. de capt. & postlim. revers. l. 3. C. ad l. corn. de sic.* Mors etenim innocentis per accidens tantum contingere videtur, utpote directò non intenta, sed secuta ex opere licito & necessario, vide *Zasium ff. ad l. corn. de sic. n. 41.* Secundo aggressio debet esse injusta; ubi enim justa est offensio, injusta est & omnino illicita defensio arg. *l. 4. C. de his qui ad Eccles.* Sic Magistratui ejusve Ministris mandatum habentibus ( de quo tamen constare debet vide *Gail. 1. obs. 54.* ) resistere est prohibitum arg. *c. 36. caus. 23. q. 4. P. H. D. art. 150. verbis.* So einem Jemand zu fassen gebühret etc. Ex quibus liquidò apparet, quòd cessante offensione tanquam causa, propulsatio quoque cessare debeat, V. G. si invasus invasori manum amputavit, vel aliud grave vulnus infixit ut ad defendendum ulterius



ulterius sit inutilis, vel aggressus post vim illatam aufugiat, aggressus fugientem occidere non debet. Vide *Farinac. pr. crim. quest. 125. n. 385.* Non enim ad ultionem seu vindictam progredi debet defensio *l. scientiam ff. ad l. aquil. l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm. ubi Gothof.*

§. 37. Dicta infallibiliter procedunt in defensione vitæ; Quæritur autem, an idem dicendum in defensione rerum? & videtur æquitati omnino contrarium pro rebus transitoriis (nisi infimul vitæ immineat periculū) in proximum ita acriter exardescere, ut loquitur Pontifex *in c. suscepimus 10. X. de homicid.* Hoc tamen non attento rectè distinguitur inter amissionem, quæ aliquem in gravem necessitatem conjicit, & ex quâ vita nostra & familiæ dependet, & eam quæ levior vel forte competenti actione, in iudicio institutâ recuperari potest, ut priori casu idē, quod in defensione vitæ concessum, sit quoq; licitum pro defendendis rebus cum bona ad conservandam vitam sint necessaria, sintque secundus Hominis & præsertim tantæ dignitatis sanguis *arg. l. 14. C. de adv. divers. Jud. pulchrè Reinking de reg. sec. lib. 1. clas. 2. cap. 8. n. 100.* quo facit. *c. 2. X. de Homicid.* Ubi se suaque liberando hujusmodi Diaboli membra (ut cum textu loquar) interficere licet, quæ verba non in sensu copulativo, ut aliqui velle videntur, sed ita ut alterutrum sufficiat, accipienda sunt; non enim video, quo pacto licitum mihi sit res meas contra raptorem defendere, & sit illicitum pro rerum defensione aggressorem occidere, cum si raptor mihi resistat, defensio rerum ad defensionem quoque Personæ pertineat. Concordat *constit. crim. Caroli V. arti. 150.* verbis, *So einer zu Rettung eines andern Leib / Leben oder Gut jemand erschlägt.* Suffragatur quod alias in vasoribus aliisque pravis hominibus occasio detur in bonis alienis pro lubitu grassandi eosque injustè spoliandi, si citra Domini contradictionem id impunè liceret; vide *Peretz. in C. ad l. corn. de sic. n. 43. in fine.* Nihil faciente objectione præcedente, cum ista inæqualitas favore innocentis & raptoris odio compensetur, adde *Grotium de Jure B. & P. lib. 2. cap. 1. §. 11.*

Qualis quoque est defensio honorum.

§. 38. Idem obtinere videtur in defensione honoris, mori enim expedit, quam honorem suum sinere evacuari, convitia hominem inquinant, & instar pestis suffocant, sequitur infamia injuriatum ut lepra leprosum; honor enim & vita hominis ex pari ambulant, eumque merito crudelem dicimus, qui famam negligit pertradita *Peretii ad C. hoc n. 40. Gallii. 1. obs. 10. n. 2. & 3.* Ex quo infert *Schneidevvin. Inst. de jure nat. gent. & civili n. 15. in fine.* non teneri aliquem fugâ sibi consulere cum

Non vero honoris.





dedecore, cum fugatum esse cuilibet sit injuriosum. Verum cum in ejusmodi fugâ nihil turpe, viroque nequidem nobili vel militari quidquâ indignum sit, quippe quæ non suscipitur ex ignavia aut officii neglectu, sed quia sana ratio nullam exercendæ fortitudinis materiam invenit si citra necessitatem Civis sit occidendus ut sunt verba *Pufendorffii comment. de jure nat. Gent. & civili lib. 2. cap. 5. §. 13.* Et nulla hic sublit ignominia, sed falsa ejusdem suspicio vel opinio, aspernenda ab omnibus, qui virtutē & sapientiam sectantur. *Hugo Grotius de Jure B. & P. lib. 2. c. 1. §. 10. n. 3.* Dicendum erit non aliàs honorem cum aggressoris internecione defendi posse, nisi in casu, quo damnum irreparabile ex defensionis omissione irrogatur. Quod ipsum clarè patet *ex l. 1. §. penult. ff. ad l. corn. de sic. ubi occidens eum, qui sibi suisque stuprum infert, jubetur dimitti; pudicitia enim semel amissa nunquam restitui potest, nec à Judice violentia emendari, Per l. unic. C. de raptu virginum.* Imo non tantum communis æstimatio, sed etiam lex Divina pudicitiam vitæ adæquat tradente *Grotio lib. 2. c. 1. §. 7.* Et quamvis expeditum sit, quod vera virginitas castusque pudor in animo consistat, & sicuti existimatio & honor noster utpote Magistratus & legis auctoritate subnixus per privatum, ita quoque illa per violentum in valorem adimi nequeat *p. c. 1. 2. & 3. caus. 32. q. 5.* Inde tamen non inferendum, stupratorem violentum non posse quovis modo repelli, uti pariter non sequitur, vir probus per mortem temporariam ad beatiorē vitam transfertur, ergo latroni non potest extremam vim opponere; accedit, quod licet vi stuprata apud Evangelium virgo suscipiatur in lege tamen quasi corrupta repudietur, ut sunt verba *Hieronimi in c. 6. caus. 32. q. 5.* Vide pluribus hâc de re tractantem & distinguentem *Franzium exercit. 12. q. 6. per totum.*

§. 39. Aliud dicendum de causis injuriarum, quæ competentibus actionibus vindicari possunt, tunc enim quod est reparabile cedere omnino debet illi quod est irreparabile, & cujus jactura nullo unquam tempore refarcitur, non enim illegitimis & illicitis mediis locus dandus est, ubi offenso legitima juris & actionum via patet: Hinc facile colligere est, locutionem illam vulgarem *th. præcedenti* allatam, *quod fama nempe & vita ex pari ambulent*, non ad omnimodam hujus cum illâ exæquationem, sed ad majorem illius commendationem à Dd. usurpari, Ex quo falsitatem & impietatem dictionis illius, *Auff eine Mauschelle gehört ein Dolch*, abunde omnibus innotescit.

Sufficiunt tamen mina.

§. 40. Cum igitur ex antedictis pateat, requiri aggressionem, non sine ratione



ratione hic Quæritur, quid de minis sentiendum? Resp. eas justam ponere causam aggressorūque jus tribuere non expectato insultu aggressorem occidere, dummodo tamen minans sit malæ conditionis vitæ, famæ, & aliàs sit solitus minas suas executioni mandare, vide *Hipp. de Marsil. pract. crim. §. diligenter. n. 85. & 87. & §. constante, n. 57.* Ubi docet, eum quoque, qui habet arma ad latus, licet non posuerit manus ad ea, vim tamen cum armis intulisse; Quod tamen eo expeditius procedet, si minitans jam tum in actu exequendi esset, manum gladio admoveret, vel mortem juraret tunc enim cum armis obviam venientem confestim occidere licet. *arg. l. 1. C. quando liceat unicuique sine Iud. l. 4. C. ad l. corn. de sic.*

§. 41. Modus consistit principaliter in æquilibrio defensionis & offensionis, ad quod requirere communiter videntur æquo Marte paribusque armis vim fuisse repulsam; sed verius est licere qualitercunque & quovis armorum genere vim illatam repellere, dummodo in vas non potuerit alio modo vel sine minore aggressoris læsione periculum evadere *l. 45. §. 4. ff. ad l. aquil.* Cum enim defensio in continenti fieri debeat, quomodo defensor de paritate armorum prospicere sibi semper poterit? Si verò aggressori meo, ne ad me perveniat viam occludendi copiam habeo, stultè cum eo citra necessitatem manus confero, & quem parietes & januæ possunt defendere, imprudenter pectus suum hosti objicit, uti hoc pulchre tradit *Pufendorff de jure nat. gent. & civili lib. 2. c. 5. §. 3.* imò si suffecisset mutilare aut vulnerare immoderata esset occisio propter gravè culpam in repulsione commissam, quæ tamen, etsi valde gravis esset, ordinariam pœnam propter nimium animi dolorem, qui difficulter temperatur, ne utiquam irrogaret, is enim tollit rectum iudicium & consilium deliberandi, & à dolo excusat perturbatio justis doloris *Peretz. in C. ad l. corn. de sic. n. 33. Fachinans 1. cont. 32.* Neque ad modum defensionis pertinet, ut in eadem corporis parte repercussio fiat, in quâ percussio facta, nec etiam ut aggressus fugiat *l. 3. ff. de just. & jur.* non quidem quod ex fugâ aliquid turpe vel indignum resultet, quod pati cogamur, cum perpetua famæ & honoris notâ, prout putat cum aliis *Peretz. in C. d. l. n. 41.* sed quod periculi sit interdum plena, & vel fugienti à tergo vulnera infligi, vel cadenti mors ipsa facile inferri possit. Quo facit *ord. crim. Caroli V. art. 140.* *Verbis. Und der Benöhtigte kan süglich ohne Fährlichkeit oder Verlesung &c.*

§. 42. Tempus tandè justè observandū, ut scil. in continenti in ipsâ concertatione, auff frischer That / fiat defensio, *textus est expr. in l. quod est. 3. §. eum*

Secundo modo

Tertio tempore.

§. eum



§. cum igitur 9. ff. de vi & vi arm. & quamvis in defensione rerū hoc fallere statuat *Gail. lib. 1. de p. p. cap. 16. n. 15.* ubi docet, Nobilem de possessione sui castri vi dejectum, posse quodocunq̄ etiam post 6. menses propriā auctoritate illud recuperare, textui tamen expresso in *l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm.* tutius inhæremus, & vim ex intervallo cogitatē illatam non esse defensionem, sed in bellum & vindictam (qualis quæ ipsomet testante *Gailio d. l. n. 13.* mortale est peccatum) de genere asserimus.

Quod tamen  
probandum.

§. 43. Quia verò Homicidium est actus illicitus, cui dolus inest præsumptione Juris, sicque voluntarium & ex proposito factum præsumitur, reum defensionis necessitatem non solum allegare, sed insuper probare oportebit. *Vide Fransk. comment. ad inst. de pub. jud. §. 5. n. 11. 12.* Homicidium enim est de genere prohibitorum, sicque dolo commissum indubio censetur, hinc non sufficit probare insultationem ab occiso prius factam esse, sed omnino requiritur ut ostendat se in periculo non aliter evitabili constitutum fuisse; id quod sufficienter fieret, si reus E. G. non modo armis se insultatum, sed in specie quoq̄; in capite (periculoso in loco) cum sanguinis effusione ita percussus fuisse probaret, ut in terram prosterneretur; ex quo certe in tantā animi perturbatione nemo aliter, quam extremum sibi periculum imminere verisimiliter judicare posset. *Emeric. à Rosbach in proces. crim. tit. 1. cap. 4. n. 43. in fine. adde textum in l. is qui aggressorum C. ad l. corn. de sic. & And. Gail. lib. 1. de p. p. cap. 16. n. 6.*

Si non plenè,  
ad minimum  
aliqua liter.

§. 44. Adeo autem favent innocentibus jura nostra ut quemlibet admittant ad probandam innocentiam inquisiti etiam absentis & ignorantis, & sic domesticos aliàs in idoneos, ut pluribus docet, *Hippol. de mars. in pract. crim. §. oportune n. 15. 16. & 17.* Fratrem pro fratre, Abbatem pro Monacho, Civem pro cive. *Gail. lib. 1. de p. p. cap. 16. n. 22.* Sic reus contra regulam (contraria allegantem non esse audiendum) rectè tamen hoc in casu contrariis exceptionibus se defendit, docente *Zæfio comm. ad ff. tit. de except. n. 31.* Imo etiam Mulieres, quamvis communiter ut mendaces, fallaces, perjuras, dolosas, mutabiles, fragiles, varias & corruptibiles exclament Interpretes; ut *ex Tiraq. tradit Farinac. tract. de test. lib. 2. tit. 6. q. 59. n. 4.* pro demonstranda tamen cujusdam innocentia rectè admittuntur, imo unicus sufficit Testis, dum tamen illius testimonium, non sit directò contrarium plenæ probationi accusatoris, prout pluribus tradit *Emeric. à Rosbach. in process. crim. tit. 1. cap. 4. n. 37.* qui favor tantus est ut quamvis nulli adfuerint Testes, Reus tamen defensionem necessariam prætendens, si modo ex antea actâ vitâ majorem quam



quam occisus fidem, & innocentiae opinionem mereatur, vel aliis adm-  
 niculis *in ord. crim. Caroli V. art. 143.* recensitis juvetur, poenâ ordina-  
 riâ non sit afficiendus vide *Peretz. ad C. tit. ad l. corn. de sic. n. 44. in fine.*  
 Deficiente Testium probatione, recurrimus ad præsumptiones & conje-  
 cturas *arg. l. 5. §. 6. ff. de re milit. P. S. D. art. 143.* quæ capiuntur ex ge-  
 nere armorum, loco, tempore, personâ & conditione tam occisi quàm oc-  
 cisoris, inimicitiis præcedentibus, vulneribus utrimque acceptis; aliisque  
 circumstantiis tam antecedentibus quàm consequentibus, quæ omnia  
 ab Imperatore *Carolo V. d. art. prudentis Judicis arbitrio merito relin-*  
 quuntur. Quod si verò hæc omnia desint, sunt nonnulli, qui reum con-  
 demnandum, alii extraordinariæ poenæ subijciendum, alii verò Juramen-  
 to purgatorio committendum statuunt; sententia tamen *Carpzovii,* tor-  
 turæ subijciendum esse statuentis unicè placet *arg. l. 1. §. 1. l. ult. ff. de quest.*  
 Si verò reus in torturâ constanter asserat se homicidium ad defensionem  
 suam commisisse, eo ipso purgat præsumptionem juris contra se militan-  
 tem, & sic ab instantiâ absolvendus erit, quamvis *Carpzovius* hoc casu  
 contradicere, & non solum ab instantiâ, sed definitivè quoque reum ab-  
 solvendum statuere videatur, *in pr. crim. q. 125. n. 10.*

*Nec non conje-  
 cturis & præ-  
 sumptionibus.*

§. 45. Prout autem dolus dolo improbius, & malitia malitiam  
 superat, ita quoque varia homicidiorum genera emergunt, de quo tamen  
 infra pluribus. Quamvis autem aliàs culpa lata sub dolo contineatur, do-  
 lo æquiparetur, imo dolus appelletur *l. 226. ff. de V. S. l. 32. de pos. l. 47. §. 5.*  
*de legat. 1.* id tamen in *l. cornelia,* imò in genere in poenalibus & crimi-  
 nalibus, utpote quæ potius coangustanda quàm extendenda, & verba  
 tantum propriè non abusivè interpretanda & accipienda non procedit,  
*l. 7. ff. ad l. corn. de sic. l. 155. §. 2. ff. de R. I. c. odia, & c. in poenis de R. I. in*  
*sexto.* Unde etiam statutum disponens de poenâ ultimi supplicii infligen-  
 da homicidis licet generaliter loquatur, restringendum tamen est ad do-  
 losos, æque ut aliàs statuta juxta jus commune declaranda, & ita accipi-  
 enda, ne illud lædant, rationi repugnent, vel alio quovis modo iniquita-  
 tem inducant, quod enim lex non dicit, nec nostrum est dicere, erubesci-  
 mus quippe sine lege loqui. *Novell. 18. c. 5. in pr. adde Gailium 2. obs. 33.*  
*n. 4. Joh. Harpprecht, ad §. 6. inst. de pub. jud. n. 28.*

*Culpa dolo  
 hic non æqui-  
 paratur.*

§. 46. An autem & quando Homicidium sit culposum vel casuale  
 ex duabus potissimum circumstantiis, videlicet an quis operam det rei  
 licitæ, vel illicitæ dijudicari facilius poterit, qui enim in priori, re scilicet li-  
 cita, versatur, culpâ committit Homicidium, quando non adhibet eam di-  
 ligentiam

D

ligentiam



ligentiam quam natura actus requirit, & quam ad homicidium præcavendum adhibere debet *c. continebatur X. de homicid.* Exemplum est, si quis non debito modo, loco aut tempore bombardam explodat rationem non habens, utrum obvius sit aliquis an non, & prout locus abambulationi magis vel minus frequens, culpa vel lata, vel levis æstimatur. Rei verò illicitæ operam navans culpâ occidit, quando id facit, quod per se est prohibitum, & ex quo mediâtè citra opinionem & mentem per accidens homicidium contingit. *l. 7. §. 4. l. 8. ff. ad l. aquil.* dico mediâtè, si enim immediâtè & quasi necessariò mors inde sequeretur, pro vero & doloso homicidio non immeritò haberetur: videatur latius hac de re *Carpz. pr. crim. p. 1. q. 27. per tot.* Deficientibus autem hisce circumstantiis; puta si quis rei licitæ debito modo, loco ac tempore operam det; exinde tamen Homicidium sequatur, pro casuali reputatur & reus ab omni poenâ est absolvendus *l. 11. §. delinquitur. 2. ff. de poen. P. H. D. art. 146.*

Forma commissi Homicidii probandi consistit.

Primò in probatione corporis delicti.

§. 47. Hæc de formâ Homicidii committendi, sequitur forma Homicidii commissi probandi, quæ Primò consistit in probatione delicti ejusque corporis, Secundo, Personæ delinquentis, & Tertio, animi seu propositi. De primo ante omnia constare debet. *l. 1. §. item illud 24. ff. ad Silan. l. inde Neratius. ff. ad l. aqu.* Et hoc in tantum exigitur, ut etiam sola rei confessio non sufficiat, utpote in cujus potestate non est facere delictum ubi nullum est, cum non sit Dominus membrorum suorum *l. liber homo 13. ff. ad l. aquil.* Liquidò autem & certò constare dicitur per aspectum Cadaveris, quod ea propter perquirendum, & si sepultum exhumandum, oculisque subjiciendum, vulnus etiam cum omnibus qualitatibus considerandum, ut constet occisum ex inflictio vulnere obiisse *P. H. D. art. 149. ubi Matth. Stephani & c.* Quod tamen in infanticidio necessarium non est, sed sufficit Cadaver, vel ejus partem ex quo cognosci possit humanum esse, oculis subjici, licet vulnus, cicatrix, aliudve signum non appareat, ne infinita Infanticidia maneat impunita, cum Meretrices non rarò digito aut linteo in os immisso infantes suffocare soleant; quo in casu vix aliquod occisionis signum apparet.

§. 48. Cum verò non raro accidat, quod acutæ & malignæ febres aliæque symptomata supervenientia præsentissimo vitæ periculo vulneratum exponant, & dubium oriatur, an ex vulnere, vel alio accidenti exspiraverit, inde est quod Justinianus æq; ac Carolus Quintus Imperatores piissimi (prout §. præced. traditum) probatæ vitæ Medicis, quibus utpote in arte



arte suâ peritis, & de credulitate ad minimum deponentibus omnino credendum est) accuratiorem perempti corporis inspectionem committant, unde consequens est, quod Medicis circumforaneis misellæ plebi pharmaca vendentibus, omnibusque imperitoribus nulla planè fides tribuenda, sed ejusmodi peregrini impostores extraordinariè puniendi, imò ferro ignique merito sint exterminandi *P. H. D. art. 134.* Verbis Diejenige Leute so sich der Arzenei unterstehen / selbige mit keinem Grunde gelernet / und durch Leichtfertigen und Berwegentlichen Mißbrauch der Arzenei jemand / doch unfürsichtlich getödtet / adde *eleg. Struvium synt. Civil. exerc. 48. th. 87. & exerc. 14. th. 5.*

§. 49. Quamvis igitur ex constanti unius probati Medici testimonio (dummodo plures haberi nequeant) reus jure condemnari possit. *Vide Gailium 2. obs. III. n. 4. & 7.* Quia tamen humana pleraque Judicia vix tantæ sunt firmitatis & constantiæ, quin non erroribus pene multis subjaceant, uti enim in solum Deum summa cadit perfectio, ita errare humanum est, vitiaque erunt donec homines, uti ex *Corn. Tacito* refert *Reink. de regim. sec. lib. 2. c. 1. §. 4. n. 16.* Ita quoque nullum dubium est, quod Medici circa vulnere morborumque qualitates mirum quantum variare, infirmosque suos ex vulnere superstites pro desperatis, desperatos autem pro superstitibus non raro accipere soleant, hinc Judex circumspectus taliter ambiguas, & diversis interpretationibus titubantes causas benignè & naturalis juris moderamine temperabit, eamque opinionem, quæ mitior est & magis tuta (præstat enim impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem condemnare *l. absentem 5. ff. de pæn.*) omnino amplectetur propter *l. interpretatione 42. ff. de pæn. l. 155. §. 2. ff. de R. I. l. 10. §. 1. ff. de reb. dub. l. in pænis 49. de R. I. in sexto.* Et si forte uti dictum febris, vel aliud quid ægroto superveniat, cum non ex vulnere, sed febris potius mortuum esse in dubio pronuntiabit *per jura alleg. & Gail. 2. obs. III. n. 23.* prout hoc similiter Scabini Lipsi, in literis suis responsoriis in sertis decidendi rationibus ad serenissimum Saxonem missis, eleganter confirmant *apud Carpz. pr. crim. p. 1. q. 26. n. 46.*

§. 50. Quod si verò inspectio vel consultatio Medici omissa sit, eo casu refert, an corpus delicti adhuc dum haberi possit, an non, priori casu nihilominus perquirendum & vulnus cum omnibus suis qualitatibus accuratè inspiciendum; quod in tantum procedit ut si reus confiteatur se occidisse, locum verò in quem cadaver projecit, indicare nolit, aut dubitanter respondeat, aut dicat, se ejus non recordari, sub tormentis interro-

D 3

gari



gari possit, dummodo de delicto aliunde constet, vel urgentia patratu Homicidii indicia reperiantur; quod si tamen certum sit hominem dolo malo occisum esse, idque vel testis etiam unicus viderit, vel aliter de eo constet, inspectionem præcisè non esse necessariam existimo; inspectio etenim principaliter eo pertinet, ut constet vulnus lethale esse; quod si aliunde appareat reum iteratis & ad mortem usque continuatis ictibus percussisse defunctum, de vulneris mortalitate frustra dubitaremus. Posteriori verò casu, quando V. G. cadaver esset in mare projectum, aut à bestiis devoratum vel combustum, placet sententia *Carpzovii* denuo distinguentis, an scilicet testes viderint corpus delicti & factum occisionis, vel ex conjecturis fermè infallibilibus; & indiciis urgentissimis appareat delictum perpetratum esse, an verò deficiant hæc omnia; ut priori casu ad poenam quoque ordinariam infligendam sufficienter probatum sit delicti corpus, ex ratione quod partim sit delictum occultum, in quo sufficit constare de corpore per conjecturas validas & jure probatas, partim *arg. ord. Caroli V. art. 6. Verbis Er sey dann zu vorn mit redlich und derhalben gnugsamen Anzeigen und Vermuthungen/von wegen derselben Missethat berüchtiget und verdacht / &c.* quænam autem sint urgentia & valida indicia judici considerandum relinquitur, Impossibile siquidem est omnia & singula cujusvis delicti indicia quæ ex facto oriuntur, referre vide *Carpz. pr. crim. p. 3. q. 123. n. 28.* Posteriori verò casu, si scilicet indicia urgentia non adsint, ut ex iis factum colligi certò possit, vel Judex saltem de sufficientiâ indiciorum dubitet, quamvis Homicida delictum fateatur, non tamen ordinariam, sed extraordinariam tantum locum invenire existimo; Cum etenim periculosissimum sit ultimi supplicii poenam iis irrogare, qui delictum quidem ultro fatentur, de quo tamen non aliter quam ex eorum confessione constat. *per l. 1. §. Divus Severus l. 17. junct. §. 1. ff. de quest.* Hinc Judici utpote Justitiæ sacerdoti ritè ponderandum erit, talia ex vitæ tædio, vel aliis rationibus ab innocentissimo sæpe fieri, & innocui sanguinis profusionem non rarò contingere.

*Secundo persona delinquentis.*

§. 51. Investigato itaque delicti corpore, in delinquentem inquirendum, & quidem quando adest idonea & legitima confessio vel sufficiens probatio, ut exinde reus satis convictus sit, res expedita est, ita ut taliter convictus, licet pertinaciter crimen neget torqueri non debeat *per l. 12. C. de quest. l. 16. C. de poen.* Nam cum quæstio sit inventa in subsidium defectus plenæ probationis, igitur hæc plenâ stante ad subsidiariam recurrere frustraneum esset. *l. 1. §. 1. l. 8. §. 9. ff. de quest.* Accedit quod habito fine cessare de-



sare debeant media ad finem ducentia, & rei jam certæ frustra certificatio requiratur, ne, dum Judex post convictum legitimè reum, quæstionem decernens videatur constituere, probationes factas non esse sufficientes, ut perdurante in tormentis reo, & constantissimè crimen negante absolutionis sententia videatur pronuncianda collabantibus per ejus constantiam probationibus, eleganter tradente *Zæsius ad tit. ff. de quæst. n. 6.* Si verò ex imperitiâ Judex nihilominus Torturæ reum subjiciat, & hic in negatione pertinaciter perseveret, rectè respondet *laudatus Zæsius*, quod quamvis alia indicia & argumenta per Torturam purgentur & elidantur, plena tamen probatio enervari non possit, cum non sit Judicis veras probationes permittere enervari per negationem rei, & sic liberare reum per indirectum à condigna poenâ in reipub. detrimentum; Quod autem de consuetudine in contrarium allegat *idem Auctor d. l. n. 5. & 6.* ad excludendum beneficium appellationis, id, de consuetudine totius saltem Germaniæ attestante *Struvio synt. Civil. exerc. 50. th. 3. Carpzovio pr. crim. p. 3. q. 139. n. 14.* & præsertim in processu criminali inquisitorio nullatenus observatur: adde *Gail. 1. obs. 1. n. 28.* Judices enim, quando de crimine constat, debent esse proni ad puniendum non adedò attentis juris solennitatibus. *Carpz. all. loco. n. 18.* appellationis enim remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentæ institutum ut loquitur *Pontifex in c. cum speciali 61. X. de appell.*

§. 52. Deficiente autem probatione & confessione sufficienti ad indicia reum gravantia recurrendum. De quibus ex professio agere quia nimis prolixum foret, methodicum tantum schema hic ponam, sunt autem vel communia omnibus delictis, vel propria Homicidio, illa vel sunt remota, verisimilia & incerta, Vel indubitata, proxima, & certa, illa, per se sola non sufficiunt, unde etiam dubitata & semi plena vocantur, & desumuntur. *Primo* à qualitate personæ delinquentis, vitâ antea actâ & famâ *l. 3. §. ejusdem ff. de test.* *Secundo* à deprehensione in loco delicti, *Tertio* conversatione cum hominibus facinorosis, *Quarto* inimiciâ capitali, *Quinto* spe lucri, & commodi, *Sexto* assertionem & inculpationem vulnerati, *Septimo*, fuga: Quibus addunt *Dd.* variationem, inconstantiam sermonis, mendacium, titubationem, trepidationem & reticentiam ad objectum crimen & si quæ alia; Hæc verò certa puta indubitata & propinqua indicia per se sola, & quidem unumquodque seorsim sufficit ad torturam decernendam, quia non sunt levia & probabilia dubia, aut æquivoca, quod multipliciter interpretari possint, sed concludentia & delictum inferen-



tia, eique quasi coherencia, ita ut ex iis nil nisi delictum colligi possit *l. 1. pr. ff. de quest. P. S. D. art. 27.* Sunt autem hæc, *Primo* si res aliqua in loco perpetrati delicti sit inventa, quæ probetur esse rei delati *Secundo* confessio rei extrajudicialis, dummodo qualificata sit ratione certi individui, loci & temporis, & præterea de corpore delicti constet, adde §. 47. *Tertio* minæ, dummodo iterum sint qualificatæ, quod minitans illas exequi sit solitus, in illum cadat sinistra opinio, maleficium mox sequatur, & denique in certam denominatamque personam sint directæ. *Quarto* Auxilium hominibus facinerosis scienter præstitum; Adornatio tamen fugæ huc non pertinet, quia ex commiseratione facta præsumitur *l. 7. §. 7. ff. de dolo malo*, maximè à contubernali, affini, cognato, conterraneo, aut alio bono amico *vid. l. 2. ff. de recept.* *Quinto* Si quis reorum causis apertè faveat *P. S. D. art. 40. ibiq. Math. Stephani.*

§. 53. Huc referre videntur nonnulli nominationem socii criminis; cuius tamen contrarium pro veriori & tutiori habendum; justè etenim timendum est, quod legitimè confessus convictusque cum habeatur pro damnato, facile confugiat ad aliorum delationes, atque ita alienam salutem in dubium deducere cupiat, qui desperat de suâ *textus est in l. ult. C. de accus. & in sc. l. repeti 16. ff. de quest.* cum secundum illud Poëtæ non exiguum sit.

*Solamen miseris socios habuisse malorum.*

Accedit optima ratio, quia eo ipso, quo se socium criminis quis facit, fateatur & reddit se infamem, talem autem nullam facere fidè docet ipsa ratio; ubi enim Testis in totum repellitur & de jure non admittitur, nequidem adminicula eum habilem reddunt, eo quod suppleri non possit defectus rei non existentis cujus nulla qualitas.

§. 54. Propria verò Homicidii indicia sunt diversa pro specierum varietate, & quidem veneficii potiora sunt: *Primo* veneni emptio citra ullâ justam causam facta *Crusius de ind. delict. p. 2. c. 31. n. 7.* dummodo statim post interfectus reperiatur, vel reus inficietur emptionem, vel inimicitias cum extincto habeat, vel ex morte ejus lucrum speret, *Secundo* ejus veneni tractatio, quæ res per se valde est suspecta *vide Mat. Stephani in not. ad ord. Caroli V. art. 37.* Infanticidii principaliora indicia sunt, si virginis uterus extumescat, & mox macra & livida existat dummodo suspecta sit de stupro, & ab obstetricibus in arte suâ peritis & juratis tacta, inspectaque peperisse deprehendatur. *Secundo* si mulier sese infantem mortuum peperisse fa-



riffe fateatur, dummodo ante partum in utero clam gestaverit, & studio sola enixa sit, ne aliarum Mulierum interventu res patefiat, ad probationem tamen contrarii admittitur *per constit. crim. Caroli V. art. 131.* Verbis *Wolte sie dann ihre unschuld etc.* Homicidii verò alterius indicia sunt *Primò* si quis in loco & tempore, quo homo enecatus, aut in propinquo visus vel deprehensus sit, cum armis, aut vestimentis sanguine conspersis, *Secundò* si ensis vel culter sanguine madefactus in loco delicti commissi deprehendatur, *Tertiò* si quis ex interempti rebus aliquid acceperit, aut penes se habuerit, *Quartò* si reus dicat se ad sui defensionem necasse. *Quintò.* Homicidii in rixâ commissi indicium est, si accusatus visus fuit cum interfecto rixari, eique vim inferre, maximè si arma quibus ulus est, sanguinolenta deprehendantur, vulnere sint aptata, vel præter morem armis instructus ad rixam venerit *P. H. D. art. 34. ibique Matth. Stephani.*

§. 55. Quamvis autem principaliora tam communia quam propria indicia in constitut. Carol. tantum nominentur plura tamen admittenda esse in articulo. *18. d. const.* non obscure innuitur ubi tota quæstionum materia arbitrio iudicis committitur, ita ut ad similia quidem, quorum eadem ratio est progredi, non autè ex proprio cerebro nova indicia effingere possit. Et licet quoque indicia supra tradita certa tam communia quam propria per se sola ad torturam sufficere traditum sit; id tamen in regulâ tantum intelligendum, & sicuti in veneficio & infanticidio (ut supra dictum) adminicula requiruntur, ita quoque pro diversâ personarum & rerum qualitate nonnunquam adminicula in aliis speciebus homicidii adhibenda esse existimo; ita ut Iudex quibusvis circumstantiis prudenter, & exactè examinatis arbitretur, an indicia sint sufficientia ad hoc ut inquisitus sit torturæ subjiciendus; Materia enim indiciorum cum juxta jam dicta sit arbitraria, ideo quoque *in ord. crim. art. 7.* jubet Imperator indicia ad collegia Iudicum transmitti, ut ab eis judicetur sintne sufficientia, an non. Reo tamen omnino sunt communicanda, ut, si possit, illa elidat, & sic torturam effugiat *P. H. D. art. 29.* in quo certè non minima pars defensionis versatur, quæ nullatenus reo est auferenda *Carpz. p. 3. q. 124. n. 64.* ubi modum elidendi vel enervandi latius refert.

§. 56. De animo tandem malitioso probando ut multum laboremus, operæ precium non est, cum constet in omni delicto dolum præsumi, in tantum, ut etiamsi delinquens protestetur de contrario animo, tamen protestatio illa tanquam factò contraria non attendatur, dummodo tamen factum ita comparatum sit, ut ex eo non possit non animus in illud directus

*Tertio animi.*



directus colligi; ejusmodi verò factum in homicidio dignoscimus ex armorum genere, aptitudine & modo utendi *p. l. 1. §. 3. ff. ad l. corn. de sic.* ut si quis armis lethiferis & ad occisionem communiter & verisimiliter aptis ita percusserit, ut mortem inde secuturam conjecturare facile potuerit, homicida meritò sit vocandus. *d. l. 1. & l. 6. §. 6. ff. de re milit. l. 1. C. de emend. serv.* Quæ verò arma in specie talia sint, prudentis judicis arbitrio relinquendum, qui diligentissimè & exactissimè ponderet à quo, in quem, quomodo, & in quâ corporis parte facta sit percussio. Et quamvis *Carpz. pr. crim. p. 1. q. 3.* certa armorum genera recenscat ut sunt *ferrum, lignum, baculus magnus, bombardæ, lapides, contusiones pedum, percussio manu contractâ facta*, id tamen pro circumstantiarum etiam minutissimarum varietate limitandum esse idem rectè adserit: Sciendum tamen dicta de genere armorum tunc vera esse, si mors ex percussione non statim fuerit secuta; aliàs enim quocunque instrumento Homicidium fiat, dolus præsumitur *arg. l. 5. C. de injur. ubi Gothofred.* Nisi ex diverso adsint adminicula clariora, quæ dolum abfuisse arguunt, *p. l. 1. l. unde vi.*

Effectus est  
vel generalis.

Qui consistit  
vel in obligatione.

Vel actione.

§. 57. Effectus tandem Homicidii vel est generalis vel specialis; ille consistit in obligatione & actione, unde autem oriatur obligatio hæc, variè inter Dd. disputatur. Et quamvis communiter existiment ex consensu oriri, eo quod intendens id quod antecedit, velle quoque videatur consequens; His tamen non obstantibus sic mihi valde improprie (*cum D. Fransk. exerc. 12. q. 1.*) locutum videtur, remotissimum siquidem est à mente delinquentis quod puniri velit; igitur præstat omnem hanc obligationem ex æquitate deducere, quam propter remotum illum consensum ad omnium Hominum facta sese extendentem obligationem effingere, eleganter tradente *Fransio d. l. n. 23.* Quamvis non improbabiler dici posset delinquentem nullatenus obligari, sed magistratum jure suo vindicativo à Deo concessio in homicidam uti, & munus suum injunctum exercere non minus ac Dominum servum castigando, quo inclinare videtur *Pufendorff. de jure N. & Gent. lib. 3. c. 3. §. 4.* Actio (vocabulo latissimè accepto) est vel civilis vel criminalis, illa ad privatam utilitatem, hæc verò ad publicam vindictam tendit, instituiturque vel per modum accusationis vel inquisitionis; de processu utroque hic non incommodus agendi locus esset; quia verò ultra modum & propositum meum prolixus essem ad criminalistas com. me remitto. Addendum tamen delinquentem tria fora habere, delicti nempe,



nempe, domicilii & deprehensionis *l. 3. ff. de off. pras. l. 7. §. penult. l. ult. ff. de accus. novel. 69. per tot. l. 1. C. ubi de crim. agi. op.* Et iudicii criminalis proprium esse, ut ubicunq; reperitur reus ibi deprehendi, accusari, damnariq; possit, ne maleficia maneat impunita, & ut flagitiosis hominibus provincia expurgetur *all. l. 5. ff. de off. pras.* Judici autem loci ubi reus reperitur de conscientia magis incumbere inquisitionem existimo *cum Struvio synt. civil. tit. de jud. th. 47. Carpzovio pr. crim. p. 3. q. 11. n. 72.* eo quod huic sit facilius reum punire, & de terrâ malum removere.

§. 58. Specialis effectus consistit in specialibus actionibus ex homicidio ortis, & quidem vel sunt civiles, & que vel rei persecutoria, vel pœnales, illæ vel merè tales id est & à parte actoris, & rei, quibus id persequimur quod actori abest & reo adest, tum demum locum habent, quando homicida ex commisso delicto quid lucratus est V. G. ex latrocinio, assasino &c. quod turpissimum lucrum non modò ei, sed & heredibus, quatenus ad eos pervenit, extorquendum, *l. 5. ff. de calum. vel mixta id est, à parte actoris persecutoria vel tantum, vel insimul pœnalis, à parte verò rei pœnalis est actio L. aquilæ, veluti Saxones vocant ad Wergeldum, de quo vide Carpz. pr. crim. p. 1. q. 34. n. 13. & q. 28. n. 62. vide l. 23. §. 9. ff. ad l. aquil. Nec refert, culpâne an dolo factum sit homicidium, cum l. aquil. etiam culpam vindicet §. 3. inst. ad l. aquil. & quidem directa datur, ratione Servi, utilis verò ratione liberi hominis occisi, l. liber homo ff. ad l. aquil. propter carentiam operarum & impendia in funerationem facta, liberum enim corpus nullam recipit aestimationem adde *Struvium synt. civil. tit. ad l. aquil. th. 26.* Quæritur autem hic, an hæc actio ex *l. aquil.* concurrere possit cumulativè, cum accusatione criminali ex *l. cornelia*? Et quamvis hoc negandum videatur, eo quod nemo possit propter unum idemque delictum bis puniri, rectius tamen me Judice alii affirmant, *per text. express. in l. 7. §. 1. ff. de cond. furt.* tum quod una sit persecutoria quæ alteram tanquam pœnalem non tollit, tum quod civilis præjudicium criminali non ferat *l. unica. C. quando civil. act. crim. præjud. ferat.* Cum enim ex uno debito plures nascuntur actiones, sicut evenit cum arbores furtim cæsa dicuntur omnibus experiri permitti post magnas controversias & varietates obtinuit, ut sunt verba *§. Cti in l. 32. ff. de O. & A.* Nec quidquam obstat textus in *l. 53. eod.* Interest enim, an plura illa delicta ex eodem facto resultantia sint diversa, & propterea actiones inde ortæ diversas qualitates & condiciones habeant & ad di-*

E

versa

*Vel specialis, qui consistit in specialibus actionibus.*

*Vel Civilibus iisq; vel rei persecutoris mere talibus vel mixtis.*

*Qua cum accusatione criminali concurrere possunt.*



versa tendant V. G. damnum injuriâ datum furtum, homicidium, an verò non sint diversa & per omnia sepeparata, sed unum alteri tantum qualitatem & improbitatem addat, vel ad unum idemque tendant, V. G. furtum & rapina &c. ut priori casu *d. l. 32.* obtineat atque ita verba §. ultimi *inst. si quad. DE EADEM RE*, non denotant idem delictum, sed idem factum, in quo tamen plura delicta latent & continentur, ut Exemplum præmissum de ferâ bestiâ quæ in itinere publico habetur, si damnum dederit, satis innuit; posteriori verò casu, si planè ad idem tendant, & in unâ non sit plus quam in alterâ secundum *l. alleg. 53.* sit pronunciandum; Hinc facile est colligere, cur actio injuriarum Civilis cum criminali non concurrat, unum siquidem delictum pluribus pœnis non coërcetur *arg. l. 2. ff. de privat. delict.* & de eadem re judicium bis non redditur, cum obstet res judicata; unde secus est in actionibus persecutoriis quæ cum pœnalibus concurrunt; hæ enim se invicem non tollunt. §. *ult. instit. de obl. quæ ex delicto l. 7. §. 1. ff. de cond. furt.*

*Vel pœnalibus.*

§. 59. Merè pœnalis est actio injuriarum, quæ non modo locum habet, quando occisio in injuriam Parentum, liberorum, agnatorum, cognatorum & conjugum facta sit, sed & cum accusatione criminali, & *l. aquiliæ* actione concurrat *l. 34. ff. de O. & A.* Delictorum enim pluralitas nullius impunitatem inducere debet. Præter hanc etiam actionem sunt adhuc aliæ vindicationes privatæ hujus improbi delicti tam jure Civili, quam feudali proditæ, illo quod Patri sit potestas exhæredandi filium, si manus ipsi violentas intulerit, vel alias vitæ ejus insidias struxerit. *Novell. 115. c. 1.* Hoc verò, quod Vasallus feudo privetur, quando Domino vel Convasallo armis vel veneno necem infert, vel inferre saltem laborat, insidias struendo, vel Dominum curbitando, modò in actum aliquem exteriorum devenerit *p. text. express. in l. quidam. §. si voluerit 2. feud. 51. adde Schnobel. disp. feud. 10. th. 7. in fine.* Sicut autem ob necem Domino illatam Vasallus feudo privatur, ita quoque Dominus eapropter amittit proprietatem, sunt enim Dominus & Vasallus relata, eademque causæ privationis feudi reputantur in Domino, quæ in Vasallo, *textus est in 2. feud. 26. §. Domino.* Fides enim inter eos est reciproca; ideoque ille hujus Conjux & Amicus dicitur *2. feud. 58. & 2. feud. 6. ibique Gothofr. lit. B. adde Struvium synt. feud. c. 2. aph. 5.*

§. 60. Ac-



§. 60. Accusationes criminales tendunt vel ad pœnam vel multam  
 (quæ duo accuratius loquendo multum inter se differre patet *ex l. 131. §. 1.*  
*& l. 244. ff. de V. S.*) Homicidæ irrogandam; De pœnis autem singulis  
 homicidii speciebus præstitutis ex professo agere, quia nimis prolixum fo-  
 ret, ideo paucis distinguemus, an Homicidium committatur in alio, an in  
 seipso, prius rursus vel perfectè perpetratum vel consummatum est; vel  
 subsistit tantum in terminis conatus; hoc casu, quæ pœna sit infligenda  
*supr. th. 26.* assertum est; Illo verò rursus interest, an sit culposum, casuale,  
 necessarium, an verò dolosum; in priori nempe culposo ordinaria & capi-  
 talis pœna indistinctè cessat, *arg. l. 1. C. ad l. corn. de sic. l. qui injuria 53. ff. de*  
*furt. l. quod reipub. 33. ff. de injur.* Et lata culpa dolo non æquiparatur  
*per jura alleg.* Exceptum hic volunt nonnulli commentariensem; quod  
 de jure Civili non absolum videtur *p. l. 4. C. de cust. reor.* ubi eadem pœ-  
 nâ consumi jubetur, cui fugiens obnoxius fuit; aliàs enim nihil esset fir-  
 mum Judicibus ad reorum custodiam; Quod tamen non aliter proce-  
 dere communiter volunt, quam si commentariensis frangenti carcerem  
 ope & auxilio adstet *P. H. D. art. 180.* Cui adstipulatur praxis hodierna,  
 pœnam custodis *Des Landfnechts oder Hüter des peinlichen Gesäng-*  
*nisses* arbitrio Judicis relinquens, cujus erit colligere vel indagare, utrum  
 liberius quam debuit habuerit reum, vel multis facile & sine delectu acces-  
 sum dederit, de quâ attestantur *Peretz. ad C. tit. de cust. reor. n. 12. Zæsius*  
*comment. ff. de cust. & exhib. reor. n. 14.* Ad eò ut vel pecuniâ vel promissis  
 corruptum custodem pœnâ tantum corporis afflictivâ, non autem capi-  
 tali afficiendum esse tradat. *Struvius synt. civil. exerc. 49. th. 14. in fin.*  
*Carpz. pr. crim. p. 3. q. III. n. 106.* Quo referunt Dd. propinquantem pocu-  
 lum abortionis, eo quod dolo non faciat, ut sunt verba J Cti *in l. 33. §. 5. ff.*  
*de pœn.* Verum me Judice propinans ejusmodi poculum (æque ac is,  
 qui animo tantum vulnerandi occidit) dolo non caret; eo enim ipso dum  
 remedio hoc violento, furioso & plerumque nocivo utitur, censetur per  
 indirectum occidere velle; *Ad textum igitur all. l. 38. §. 5.* responden-  
 dum, vocabulum doli ibi denotare animum & voluntatem in ipsam oc-  
 cisionem directò & immediatè tendentem, vel Wissenbachii remedium  
 violentum arripiendum & J Cto Paulo contradicendum.

*Vel crimina-  
libus qua ten-  
dunt ad pœ-  
nas præstitu-  
tas homicidio.*

*Vel primò cul-  
poso.*

*Quale non est  
quod procura-  
tur poculo  
abortionis.*

§. 61. Quod de poculo abortionis assertum, id etiam de poculo  
 amatorio virgini cuidam conciliandi amoris causâ dato exaudiendum  
 propter *d. l. 38.* est enim hoc remedium nocivum & pessimi exempli, ex  
 quo facile mors sequi potest, quamvis seriò *contradicat Carpz. pr. crim.*

*Et amatorio.*





*Et sterilitatis.* p. 1. q. 21. n. 13. & seqq. Idem de poculo sterilitatis affirmandum, conficitur enim ex rebus venenatis; adeoque dolus malus & nocendi propositum per indirectum abesse nequit; modò tamen omnibus hisce casibus mors fuerit secuta *H. D. art. 133.* adde hanc de re latius agentem *Berlich. p. 4. concl. 8. n. 58. & seqq.* secus esset in poculo conceptionis gratia propinato; hoc enim cum ex medicamentis confortantibus conficiatur, nullus lædendi animus, ne quidem per consequentiam argui, adeoque licet mors præter intentionem & per accidens inde sequatur, pœna ordinaria nullatenus dictari potest.

*Bene tamen poculo conceptionis.*

*Casualis verò.*

§. 62. Casuale homicidium planè impunitum manet. *l. 1. §. 3. ff. ad l. corn. de sic. l. 1. §. 5. C. eod. l. 9. & 11. ff. ad l. aquil.* Ea enim quæ casu accidunt, fato plerumq; non noxæ imputantur; hinc etiam actioni legis aquiliæ, vel Wergeldo apud Saxones in ejus locum substituto locus non est. *§. 5. inst. ad l. aquil. c. sæpe. c. si duo fratres dist 50.* dummodò tamen nulla culpa præcessit; aliàs enim Homicida non esset extra omnem pœnam, nec à damni reparatione immunis *p. l. 5. §. ult. & l. 11. ff. de pœn. l. 1. §. 3. ff. ad l. corn. de sic.* Hugo Grotius de jure B. & P. lib. 2. c. 21. n. 5. Ioh. Schneidew. ad §. 5. inst. ad L. aquil.

*Et necessari nulla est pœna.*

§. 63. Homicidium necessarium & coactum, vel rectius involuntarium secundum quid (*vide sup. th. 4.*) quod attinet, Si V. G. Minister Justitiæ sententiam in facinorosos latam exequitur, miles hostem publicum, vel quilibet etiam Civis bannitum, proditorem patriæ, transfugam vel alios, quos jura vivere non permittunt, occidit, tantum abest ut pœnam aliquam timeat, quin potius laudem & gloriam mereatur, dum voluntatem Dei, & justum Magistratus decretum executioni mandat, ut pluribus persequitur *alleg. Grotius de jure B. & P. l. 3. c. 4. §. 5.* Sic quoque capiendus si violenter resistat, à licitoribus ad id mandato instructis impunè occiditur; officii enim necessitas à dolo excusat *vide Gailium l. obs. 90. n. 5.*

*Vel secundo doloso.*

*Cujus in alio commisi simplicis, pœna est gladius.*

§. 64. Quantum ad dolosum, refert, an in alio, an in seipso sit commissum, illud vel simplex est vel qualificatum; prius dicitur quod simpliciter sine præviâ animi deliberatione ex repentinâ quadam & præcipiti voluntate, ex iracundiæ calore V. G. in rixa committitur; & de jure quidem ff. Pœna promiscuè capitalis non erat; sed primitus quidem deportatio cum bonorum publicatione dictabatur; postmodum verò in Nobilibus retinebatur quidem pœna deportationis, humiliores verò bestiis objiciebantur *vide l. 3. §. penult. ff. ad l. corn. de sic. l. 38. §. 5. ff. de pœn.* De jure verò



verò Divino, Justiniano novissimo, Canonico & Carolino contrarium constitutum esse ex supradictis in §. 8. latius patet. Qualificatum verò vel deliberatum dicitur quod ex proposito & præviâ animi deliberatione, & quidem ex intervallo quodam committitur *Ein vorseßlicher mußwilliger Todschlag P. H. D. art. 137.* & si hoc cum qualitate quadam vel insigni malitiâ V. G. spe prædæ & lucri faciendi cupiditate conjunctum esset, pœna meritò exacerbaretur prout etiam in facti specie sic responderunt *Scabini Lips. apud Carpz. pr. crim. p. 1. q. 24. n. 21.* Verbis da Er nun auff solchem seinem gethanem Befändniß vor Gerichte freywillig verharren/ oder des sonsten wie recht überwiesen würde/ so möchte Er wegen dieser begangenen und bekandten Mordthat nach Gelegenheit dßfalls zur Seymstadt geschleiffet/ und folgendß auff ein Rad gelege werden/. *B. R. W.* Quo refertur *homicidium proditorium* si is qui in fidem est receptus interficiatur, *secundo latrocinium*, quod est homicidium spoliū seu lucri gratia in viis publicis aut alio quovis loco latenter commissum Germ. eine Verweglägerung. vide *l. 28. §. 11. ff. de pœn. l. 4. C. ad l. corn. de sic.* & sciendum in hoc horrendo & execrando crimine plura adhuc specialia contra regulas juris communis recepta esse, & primò quod famosos latrones cuilibet impunè liceat occidere, *secundo* judex contra eos non servato juris ordine procedat, *tertiò* à sententiâ contra eos latâ appellari nequeat, Advocatus ipsis non concedatur, nec Ecclesiarum immunitate gaudeant prout hæc & alia plura huc pertinentia eleganter exponit *Farinac. oper. crim. p. 7. q. 167. n. 91.* *Tertio ASSASSINIUM*, quod est homicidium ab aliquo ad hoc mercede sive solutâ sive promissâ tantum conducto ad alterius mandatum, in eo qui nihil mali suspicatur commissum! *p. c. 1. de homicid. in 6.* Quale hominum genus, quamvis Christiani non fuerint, eo quod Pontifex *in alleg. c. 1.* turpissimum asserat, vitam suam non absque summo Christianæ dignitatis opprobrio ab assassinis redimere; Attamen cum detestandam hanc audaciam, Christianos quoque invasisse experiamur, textus quoque allegati decisionem ad eosdem meritò extendimus, & Assassinatores æque ac Assassinos, qui (*ut testatur Pontifex in alleg. c. 1.*) horrendâ immanitate detestandâque sævitiâ interitum aliorum sitientes non solum corporum, sed interdum quoque animarum mortem procurant, ad similitudinem latronum rotæ pœnâ afficiendos statuimus *P. H. D. art. 137.* Assassini enim spe lucri hominem occidentes, si non latrones ipsi, hisce tamen per omnia æquales & simi-

Qualificati  
verò exasperatur.



& similes sunt, ut mirum haud sit eosdem pari quoque poena affici vide *Carpz. pr. crim. p. 1. q. 19. n. 19. in fine.* Quarto, *veneficium* quod est crimen publicum, quo homo vi propinati mali veneni dolose occiditur *l. 3. ff. ad l. corn. de sic.* Et quamvis de jure Civili non major ejus poena sit quam simplicis homicidii *l. 3. §. 5. l. 1. pr. & §. 1. §. 5. inst. de pub. jud.* De jure tamen Carolino acerbior, poena scilicet rotæ in masculis, in foeminis verò suffocatio dictatur, *P. N. D. art. 130.* & hoc non immerito, plus enim est hominem veneno extinguere quam gladio necare, vid. *l. 1. C. de Malef. & Math.* Et venenare proditionis species est, cum occultè ut plurimum & per insidias propinetur, *l. consensu §. si qua igitur & §. vir quoq. C. de repud.* Quapropter quoque atrocissimum vel gravissimum crimen à Dd. appellatur *Gloss. ad §. 5. inst. de pub. jud.* eoque minus à poenâ dictæ ordinationis Carolinæ recedendum. Quinto, *Parricidium* quod est crimen in ascendentes, descendentes, collaterales, affines nec non conjuges commissum, *l. 1. & penult. ff. ad l. pompejam de parricid. Harprecht. in §. 6. inst. de pub. jud.* Et quo ad ascendentes est poena culci, ut scilicet in sacco ex corio factum vivi cum cane, viperâ, simâ & gallo gallinaceo insuantur atque ita in propinquum flumen abjiciantur, vel hodiè ut aliqui volunt rotâ contundantur, *l. 9. ff. ad l. pomp. de parricid. l. unic. C. de his qui parent. vel lib. occid.* ubi hujus singularis poenæ ratio subjicitur; cur autem hæc animalia simul insuantur exponit *Joh. Harprecht in §. 6. inst. de publ. jud.* ubi addit hanc poenam hodie in usu non esse, à quo tamen *cum Matth. Berlich. & multis alleg.* recte discedit *Carpz. pr. crim. p. 1. q. 8. n. 15.* ea etenim quæ facti sunt luculenter probari debent, nec creditur uni vel alteri Doctori quamvis Excellentissimo, maximè cum testantur contra jura scripta, aliique contrarium teneant, *alleg. Carpz. d. l. n. 16.* Nec refert sintne Masculi an foeminæ, primian ulterioris gradus, legitimi ac justii, sive illegitimi ac injusti adulterini & incestuosi; substantia enim parentum consideratur non qualitas. Quod verò collaterales vel affines proximiores vel conjuges attinet, poena gladii aequaliter tamen exasperatur, ut scilicet reus vel trahâ ad locum supplicii ducatur, vel ignitis forcipibus aduratur, aut cadaver post executionem rotæ imponatur, *l. 9. §. 1. ff. ad l. pomp. de parr. vide Harprecht. ad §. 6. inst. de pub. jud.*

In se ipso vero  
commissi, poe-  
na variat.

§. 65. Quod tandem Homicidium in seipsum commissum attinet, iterum refert, sitne attentatum tantum an perpetratum, illud, si scilicet citra Melancholiam animique impatientiam manus violentas sibi quis intulerit sed  
aut



aut benignitate vulneris aut alio interveniente casu periculum evaserit, non ordinariam, sed extraordinariam pro Judicantis arbitrio & circumstantiarum ratione infligendam puto cum *Carpz. pr. crim. p. 1. q. 2. n. 44.* Si verò perpetratum sit delictum, rursus interest an conscientiam criminis & metu poenae, an vero ad declinandum aliud malum fata preparaverit; ut primo casu ob delicti gravitatem equo ad locum supplicii trahi, ibique rotæ imponi soleat; non tam in poenam, quam potius exemplum & terrorem viventium, ut metu ac horrore ab hujusmodi scævitiâ in proprium corpus rectæ rationi & omnibus juribus disconveniēti absterreantur. Altero vero casu, si scilicet vel ob tædium vitæ vel debitorum molem, molestiam familiarem aut similes causas filium vitæ sibi abrumpat, honesta sepultura denegatur, nam tales sub tecto domus dejiciuntur, vel sub limine domus extrahuntur, & supra rastrum educuntur & per carnificem in campo sepeliuntur quæ canina dicitur sepultura *Schneidevvinus in §. 9. inst. de acq. rer. dom. n. 9.*

§. 66. Ad contraria referimus inter alia primò mortem *l. 6. ff. de pub. jud.* hæc enim poenam tollit ut ad liberos heredesque non transeat. *l. 20. & 26. ff. de poen.* per mortem enim eximitur reus foro Judicis, & efficitur de foro Dei; quod in publico hoc delicto adhuc procedit, licet lis cum defuncto fuerit contestata *l. 3. & penult. C. si reus vel accus. adde eleg. l. sancimus 22. C. de poenis*, & in hoc differunt delicta publica à privatis civiliter intentatis. Quoad poenam vero pecuniariam inter Dd. magna est controversia, quam tamen commodissimè componi posse existimo, distinguendo inter delicta privata & publica, ut in illis, si lis jam fuerit contestata cum defuncto, heredes in solidum teneantur. *l. 87. & 139. ff. de R. I.* si verò lis non sit contestata, secus dicendum sit *l. 33. & l. III. ff. de R. I.* Quod si tamen ex delicto aliquid ad eos pervenerit, id solum & non plus ab iis actione rei persecutoriâ extorqueatur *l. unic. C. ex delict. defunct. in quant. hered. l. toties 44. ff. de R. I. l. 4. §. 5. ff. de alien. jud. mut. caus. fact.* Quod si verò criminaliter agatur, & quo ad delicta publica rursus interest, an ipso jure reus incidat in poenam ut sententiâ nõ sit opus, an verò demum per sententiam in poenam condemnetur, priori casu heredes tenentur poenam persolvere, non enim agitur ad impositionem poenæ, sed ad impositam exigendam, & statim desinit esse ejus qui crimen contraxit, & dominium ejus fisco acquiritur *vid. And. Gail. lib. 1. de p. p. c. 20. n. 18.* Posteriori casu non aliter in heredes transit accusatio quam si sententia lata sit. *Textus est expr. in l. 20. ff. de accus.* Vel factum ei æquipollens

Contrariis adnumeratur primò mors.



æquipollens intervenerit quale quod est confessio & liquida probatio; litis autem contestatio non sufficit *l. 3. & penult. ff. Si reus vel accus. mort. l. 20. & 26. ff. de pœn. d. l. 20. ff. de accus.* Ubi cumulativè requiritur litis contestatio & sententia; quod tamen intelligendum de sententiâ quæ in rem judicatam transiit ut secus sit si ab ea appelletur vel tempus decem dierû ad appellandum concessum pendeat, dummodo pœna ademptionis bonorum tacitè sequatur pœnam corporis, secus si expressè in sententiâ exprimitur, tunc enim licet pendente appellatione decesserit reus, tenetur tamen heres, modò postea succubuerit in iudicio appellationis. *l. 3. C. si pend. appel. l. ult. C. Si reus vel accus. mort.* Et quamvis jure veteri cum ipsa damnatione bona solita confiscari *l. 3. ff. de bonis damn. ex ratione*, ut quos vitæ & existimationis periculum in officio continere non poterat, amissionis bonorum metus terreret; sunt enim aliqui adeò vilis abjectique animi, ut bonorum amissione magis quam ullâ aliâ vel honoris vel vitæ jacturâ perturbentur vide *Peretz. in C. tit. de bon. prof. n. 21.* De jure tamen *novell.* hæc adeò limitata sunt ut si descendentes & ascendentes ad tertium usque gradum adsint, bonorum publicatio cesset, nec post delinquentis mortem ab heredibus ejusmodi bona avocari possint, solo excepto crimine læsæ Majestatis sive perduellionis; Nam illo gravissimo crimine secundum veteres leges confiscationem voluit habere locum Imperator Justinianus *in novell. 134. c. ult.* Vide *Matth. Stephani ad d. novel. 134. n. 18. Peretz. ad C. tit. de bon. prof.* Ex quo manifestum est *d. novel.* corrigere omnes leges & restringere confiscationem etiam in iis casibus, ubi leges specialiter eam dicunt. Quod tandem jus Carolinum attinet, confiscatio plane est sublata extra dict. crimen Majestatis, in quo licet reus ante sententiam imò ante litem cœptam moriatur, adhuc dum tamen post mortem ejus accusatio inchoari, & bona successoribus eripi possunt propter atrocitatem & execrandam criminis indignitatem. *And. Gail. lib. 1. de p. p. c. 20.* accedit quod ipso jure à tempore commissi delicti bona fisco cesserint. *p. l. 29. ff. de accus.* Verba const. Carol. hæc sunt. *Item An eklichen örtern so einige übelthäter aufferhalb des La- sters unserer belendigten Majestät etc. vom Leben zum Tod gestrafft werden, Weib und Kinder an den Bettelstab und das Gut dem Herrn zu- gewiesen; Die und dergleichen Gewohnheiten wollen wir daß eine jede Obrigkeit abschaffen und daran seyn soll/daß sie hinfürter nicht geübet. etc.*

Secundo pra-  
scriptio.

Secundo Prescriptionem constat enim de jure Civili 20. anno-  
rum lapsu crimina eorumque pœnas regulariter aboleri *l. 12. C. ad l. corn.*  
de



de fals. legibus enim hoc spatium sufficiens visum est ut accusationum tandem sit finis, ne semper incertâ spe & expectatione pendeat, qui criminis insimulatur, cum metus mortis per 20. annos continuatus ipsâ jactum morte gravior sit, eoque ipso delictum satis expiatum videatur, adde *Struvium Synt. Civil. exerc. 49. th. 91.* Nec inde sequitur quod tempus faciat desinere esse delictum (cum illud eo gravius oneret animam, quo diutius eam tenet alligatam) sed quod qui tanto tempore à crimine abstinet, videatur potius, impulsu & naturæ infirmitate ignorantiave (quæ delictum minuunt) peccasse quam dolo & delinquendi consuetudine, vide *alleg. Peretz. ad C. tit. de accus. n. 19.* & hoc in tantum verum est, ut si Judex reum elapso hoc termino pœnæ capitali subjiciat, non solum iniquè faciat; sed etiam decapitari debeat, *Prosp. Farinc. Variar. quest. & comm. opin. Crim. l. 1. tit. 1. q. 10. n. 2.* Judex enim non servans juris ordinem adeò injustò facere dicitur, ut ipsi de facto quoque resisti possit, nec Judex amplius maneat tradente *Hyppol. de Mars. in pr. crim. §. secunda n. 81. 83. & 84.* Imò etiam si reus exceptionem præscriptionis non opponat, Judex tamen ejus rationem habere debeat æque in processu inquisitionis quâ accusationis, cum sciat vel scire debeat præscriptionem ipso Jure tollere obligationem & maximus sit defensionis favor: adde pluribus *Farinaceum d. l. n. 3. & seqq.* Dummodo tamen reus non accusatus, vel inquisitio formata sit aut delictum permanens aut successivum non fuerit V. G. Matrimonium, contra leges initum, heresis, &c. vel non sit ex numero à legibus specialiter exceptorum, inter quæ tamen parricidium non referimus, cum nullâ lege hoc sancitum videamus: Erubescimus quippe sine lege loqui. Nec quidquam facit *l. 13. ff. ad S. C. filan. l. fin. ad l. Pomp. de parricid. & c.* Nam vocabulum semper ibi accipiendum ad exclusionem quinquennii; de quo paulo ante egerat *Jctus*, quod scilicet parridii accusatio non removeatur per quinquennium, sed demum per vicennium. Tradente *Zæsi ff. de accusat. n. 30.*

§. 67. Aggratiationem autem saltem in Homicidio doloso ad contraria non esse referendam rectius concludo: In delictis enim Divinâ lege prohibitis Princeps utpote hoc respectu inferior ob clarissima Salvatoris verba *Matth. 26.* & legem superioris & divinæ majestatis tollere nullatenus potest, tum quod aliis ob spem consimilis remissionis via forte aperiatur delinquendi, tum etiam quod metuendum sit ne ipsi Principes eorumque Justitia hoc modo spernatur Eleganter tradente *Carpz. pr. crim. p. 3. q. 150. n. 36. & 37.* Quod eo verius est, quo minus Princeps

Non vero aggratatio.

F

ex ple-





ex plenitudine quoque potestatis jus tertii sine causâ tollere potest. *l. venditor 13. §. si constat. 1. ff. comm. urb. præd.* Sic Cicero *Secundo offic.* *Videndum* inquit erit ei qui *rempub. administrat ut sua quisq; teneat, neque de bonis privatorum publicè deminutio fiat.* Interest autem occisi heredum non modò ratione damni & interesse, sed etiam quod maximum iis sit solatium videre homicidam viâ Juris debitam pœnam pati ut sunt verba *Callistrati in l. 28. §. 15. ff. de pœnis* adde *Farinac pr. crim. lib. 1. tit. 1. q. 6. n. 18.* Hinc est quod dicta superius de præscriptione huc applicari non possint, quia præscriptionem admittere est per obliquum aggratiare, & cum in *reipub. commodum & utilitatem* sit inventa, non debeat in eisdem odium detorqueri, quod certè contingeret, si tantum crimen maneret impunitum, cum sanguis innocenter profusus continuò in cœlum clamet, nec ante condignam Homicidæ pœnam malum de terrâ removeri, nec aliter iratus Deus reconciliari possit. Nec facit metus mortis per 20. annos continuatus, cum ipse delinquens eo se adegerit; imo habeat potius de quo sibi congratuletur, quod admissum crimen tamdiu tulerit impune: Nisi utramq; & aggratiationem & præscriptionem contrariis adscribere, & dicere velimus cum *Puffendorff. comm. de jure nat. Gent. & Civili lib. 8. cap. 3. §. 26.* quod quamvis delictum ipsum sit contra jus naturæ, & Divinum morale; pœnæ tamen, æque ut omnes aliæ sint juris forensis, ad quod Magistratus politicus non est allegatus, quo inclinasse videntur *Jcti Jenenses apud Struvium Synt. Civil. exerc. 49. th. 39.* ubi pœnam mortis puellæ cuidam infanticidii reæ rectè remitti eamque cœco in uxorem petenti copulari posse pronunciârunt. Mense novemb. anno 1657.

*Affinia.*

§. 68. Affinia tandem homicidii sunt. *Primò M A G I A* cum quis artibus illicitis adhibitis Diabolo cooperante hominibus eorumque bonis nocet, eos deludit, & miraculosa facere conatur *l. 4. 5. & 6. C. de Malef. & Mathem. c. 1. & 2. X. de sortileg.* Quid autem, si Magi damnum non dederint. Et quamvis inter alios *Reinking in responso Juris in ardua & gravi quâdam causa processum quendam contra Sagam nulliter institutum concernente,* seriò neget capitalē pœnam locum habere posse propter textus tam Juris Civilis in *l. 4. C. de Malef. & Mathem.* quam *constitut. crim. Caroli V. art. 109.* Verb. *So jemand durch Zauberey den Leuten Schaden oder Nachtheil zugefüget/ soll man ihn straffen zum Tod/ und solche Straffe soll man mit dem Feuer thun; wo aber jemand Zauberey gebraucht/ und darmit niemand Schaden gethan hätte/ soll sonst ge-  
straffe*



straffe werden; partim etiam ex ratione, quod non simpliciter propterea Maleficas seu sagas ultimo supplicio puniendas esse leges decernant, quod cum Diabolo pactum fecerint, sed quia naturæ humanæ inimicæ multa damna dederint, *d. text. & l. 1. & 5. ibi QUOS MALEFICOS OB FACINORUM MAGNITUDINEM VULGUS APPELLAT*, Atque ita quoque pronunciatum, & pœnam tantum relegationis, fustigationis vel mulctæ pecuniariæ dictatam fuisse ex *Fichard. & Farin. consil. III. & pr. crim. p. 2. q. 20.* & multis auctoritatibus roborat hisce tamen omnibus nihil attentis contrarium longè verius est tum propter textus tam Divinos *Levit. 20. v. ult. Exod. 22. v. 13.* quam Civiles *l. 3. & 7. C. de Malef. & Mathem.* Tum quod atrocissimum sit crimen Divinam Majestatem & fœdus cum eâ in baptismo initum abjicere, & se totum Diabolo mancipare, Christianæ fidei documenta relinquere, sacramenta Ecclesiæ pessum dare, beneficia Dei detestari blasphemis & convitiis horrendis afficere; Ex quo *Primò* apparet pœnam capitalem non infligi propter damnum datum, sed ob pactionem cum Diabolo initam & concurrentia gravissima delicta Apostasiam scilicet idololatriam & blasphemiam abominandam. Nec quicquam refragantur textus à *Reinking.* in contrarium allegati, posterior siquidem, non negat pœnam capitalem sagis damnum non inferentibus esse imponendam, sed tantum eandem pœnam ignis scilicet prohibere, imò Judicis tantum arbitrio determinandum relinquere videtur *Imperator Carolus d. l.* An non aliquando ponderatis circumstantis eadem ignis pœna sit infligenda; cum circumstantiæ tales esse possint, quæ magiam citra ejusmodi damnum hominibus illatum graviore animadversione dignam faciant; siquidem, ut modò dictum acerbitas hujus criminis non tam in damno dato, quam abnegatione Divinæ Majestatis consistit; pro ut ergo hæc improbior, pœna quoque asperior esse debet; Arbitrium itaque Judicantis consistit tantum in dijudicando, an pactum sit expressum, an tacitum, & an prius iterum cum aliis criminibus associatum. Quod attinet textum priorem in *l. 4. C. de Malef. & Mathem.* varias variorum reperio conciliationes; aliqui enim asserunt *d. l.* non tam approbare facta magica, quæ sunt hominibus proficua, quàm non punire, quod nec sint contra justitiam nec publicam quietem turbent, ut sunt verba *Peretii ad C. tit. de Malef. & Math. n. 4. & Zæsii. ff. ad l. corn. de sic. n. 66.* Aliqui eam ut Paganismum sapientem eæ corpore juris penitus eradicandam censent, eò quod non sint faciendæ mala ut eveniant bona, & Magicæ artes sint laquei & insidiæ Diaboli, nihil-





que conferant ut loquitur Augustin. *in c. admoneant 15. caus. 26. q. 7.* Verum nefas sit Constantinum Imperatorem Christianissimum *d. l. 4.* Auctorem tanti sceleris arguere, & *verba legum amplecti contra earum niti voluntatē* cum per finalia ista verba *humanis corporibus quaesita remedia & innocenter adhibita suffragia* non sint intelligendæ artes & remedia Magica, sed piæ processiones & lytaniarum decantationes quas nullis implicatas criminationibus prælaudatus Imperator rectissimè affirmat. Vide *Brunnem. ad d. l. 4. C. d. t.*

Quibus adnumeratur ferocidium.

§. 69. Ferocidium quoque in nonnullis affinitatem cum homicidio habet, non quod hoc ipso cædem hominis cum bestię cujusdam interfectione comparem, sed tantum convenientiam quandam statuam, in eo quod utrobique actualis requiratur occisio, & de corpore delicti antequam ad pœnã ordinariã deveniri possit omnino constare debeat; Equidem punibilis quidem est contemptus Magistratus & ingressus in bannũ ferinum, *in die gehägte Wildbahn* animo feram bestiam capiendi, ad pœnam tamen ferocidii imponendam non sufficit, sed omninò delictum perpetratum & consummatum esse oportet. Interpretatione enim pœnæ potius molliendæ quam exasperandæ, quod tantò magis hic verum est, quantò severior capitalis pœna hoc casu plerisque videtur, ut loquitur *Carpzovius pr. crim. p. 3. q. 84. n. 51.* Quapropter occasionaliter in fine quaeritur, an Principes potuerint privatis jure inhibere venationem, & temeratoribus tantam pœnam infligere? Et quamvis non desint, qui contra inductam à Principibus venationis prohibitionem ferò disputent, eamque injuriosam & violentam nominent, eò quod feræ bestię, quæ nullo certo loco concluduntur, nec in alterius venerunt potestatem ac dominium, sed liberae vagantur, in aëre potius vivere, ac illo contineri, quam certâ aliquâ soli parte sint æstimandæ, proindeque cum nullius sint in bonis occupanti concedendæ *p. l. 1. in fine cum 2. leg. seqq. ff. de acq. rer. dom.* Attamen cum subditi tribuentes Principi imperium id omne etiam tribuerint, sine quo imperium aspernaretur, imò tacentes per tantum tempus sine dubio consenserint & juri suo renunciaverint; optimã quoque ratione supradictam prohibitionem sub capitali quoque pœnã introductam dicimus. Nam ut pulchrè loquitur *Puffendorff. de jure nat. gent. & Civili. lib. 4. c. 6. n. 6. & 7.* Cum Principibus bona quadam essent adsignanda, ut dignitatem, & convenientem fastigio suo apparatus sustinerent, sapienter existimatum fuit, commodissimè iis adsignari eas res, quæ sine damno cujusdam tribui possunt, cujusmodi sunt,



*sunt, quæ nondum in alterius dominium pervenerunt; Venatio namque nobile est & dignum Principibus exercitium, interque eorum delicias merito referendum, corporis namque & animi vires eo roborantur, & bellica omnia exercentur, in eâ enim diluculo surgere & equitare, currere, atroces feras observare, excipere, ac jaculo petere, æstû frigusque perferre, sæpè etiam famem pati necesse est; vide eleg. Gail. 2. obs. 67. n. 1. adde Perez. ad C. tit. de venat. ferar. n. 6. Neque obstat quod jure naturæ ferarum venatio sit licita; quamquam enim lex civilis nihil præcipere possit quod jus naturæ prohibet, seu prohibere quæ præcipit; potest tamen naturalem libertatem circumscribere, & vetare quod naturaliter licebat; jus enim in feras bestias à Deo hominibus tributum cum se habeat negativè sive concessivè, & citra præceptum seu prohibitionem censetur relictum arbitrio humani generis, nihil implicat illud in totum mutari ita exigente causâ vel necessitate, ut pulchre in simili loquitur Zæsius comment. ad ff. tit. de just. & jure n. 51. per tot. Adde Perez. ad C. tit. de venat. ferar. n. 7. in medio. Hæc sunt, quæ in disputatione hæc inaugurali proponere placuit. Deo igitur omnium rerum summo moderatori sit Laus, Honor, & Gloria!*

C O R O L L A R I A.

I.

- B**Ernh. Grævus, Schneidew. Schnobel & alii, Juramentum pro, non contra matrimonium admittunt, cum tamen indistinctè in hisce causis aq, ac in criminalibus agens nullâ parte exonerandus, sed extremo probationis onere sit gravandus.
- II. Ex Juramento promissorio nullâ precedente stipulatione nudo pacto præstito, secus quam sentiunt Canonista communiter, neq, de jure Civili, neque Canonico oriri actionem existimo.
- III. Nonnullorum argumenta, quibus Domino contra Vasallum feudum negantem, actionem tribuunt præjudicialem, tanti non sunt, quin contrarium pro veriori habendum.
- IV. Hodie Vasallus Dominum, libertus Patronum, Filius parentem absq, speciali venia impetratione licitè in jus vocare potest.
- V. Quamvis secundo nubentium pœna intra annum luctus jure novo sint sublata; ea tamen, quæ post annum luctus in nubentes prodita sunt, in suâ manent firmitate; ideoque parens ad secunda vota convolans, ex bonis suis propriis plus relinquere Noverca nequit quam uni ex prioris Matrimonii liberis.

VI. Cums



VI. *Cum etiam interdum Vitrico privignorum tutela rectè deferatur, tantum abest, eam naturali & legitimo denegari, ut etiam filiorum ex priori Matrimonio existentium educatio retento bonorum usufructu justè ipsi tribuatur; interim tamen prædicta bona inter se & prioris Matrimonii liberos absque legitimâ inventarii confectioe & decreto Magistratus dividere non potest, quin potius taliter facta divisio utpote in fraudem liberorum tendens ipso jure nulla erit.*

VII. *Cum proprius tantum gladius, quo homicidium factum est ad magistratum pertineat, sequitur quod alienus quem Homicida commodatò habuit criminalium causarum judici neutiquam cedat, sed Domino rei vindicatio competat.*

**E**st juris quoque principium non lædere quenquam  
 Quod Princeps summus legifer ille tulit:  
 Cujus erant sapienti pectore condita jura  
 Legis & ob studium qui Themis alma fuit,  
 Quod licet in verbis tenui brevitate legatur,  
 Occultata tamen cortice plura tenet.  
 Ac dubio procul interpret quoque summus Juris  
 Humanas cædes hoc cohibere studet,  
 Idque magis quoniam naturæ jure vetatur  
 Corporis humani tam violenta sitis,  
 Læsis, quæ corpus lethali funere sternit  
 Humanæ vitæ maxima damna ferens:  
 Hac de materia Dominus cum disputat Herschmann,  
 Tractans materiam ritè bonoque modo:  
 Hinc est officii ratio, bona dicere verba  
 Præclaris ausis ore vovente suis.  
 Corde suis cœptis ex toto gratulor, optans  
 Quò Deus omnipotens cœpta secundet ea,  
 Summos in Patriæ quoque commoda captet honores,  
 Existens cultor juris amansque boni,  
 Ac Astræa regat gratissima filia Jovis  
 Ingenium spatio quovis ubique suum.  
 Ut pariter multum largas cum laude suprema  
 Ex studio juris sic metat ipse fruges.

*Ita Nobiliss atq; Doctiss. Dn. CANDIDATO, Fautori, Amico  
 & Consalino suo honoratissimo ex animo gratulari voluit  
 J. L. CLEMENS, D.*



**T**error inest homini , terror prostermit inanes  
 Fulminis adflatu , concutiente Virum.  
 Audit crudelis qui verba volantia cædis  
 Quâ mediante premit , territa poena reum.  
 Terribiles causat terrores sæpe tribunal  
 Crimina constringens , cordaque pura quatit.  
 Quo spreto celebri sapientis imagine plenus  
 Terribilis tractas verba cruenta necis.  
 Verba necis refecas tristi terrore referta  
 Dum terrent poenâ pectus inane rei.  
 Cur te non terret facti gravitatis imago  
 Ut linguas aliis , dicere jura neci.  
 Ut Judex cautus variis qui talia doctis  
 Crimina transmittit , consiliumque petit.  
 Non opus est unquam , cum clara scientia tangat  
 Quam nactus studiis , intima jura necis  
 Ut Miles fortis graviora pericula Martis  
 Suscipit ex animo , tela cruenta necans.  
 Tu sic evolvis calamis audentior ipse  
 Quo graviora patent , intima jura necis  
 Gratulor *Herschmanni* susceptis pectore pleno  
 Ut cedant votis , gratulor ipse tibi.  
 Magna animis agitas duro sed certa labori  
 Præmia magna patent , lausque decusque beant  
*Herschmannne* intrepidus pergas insistere cœptis  
 Patria gaudebit , laurea magna tibi.

*Ita Nobilissimo Dn. Candidato gratulab.  
 deproperabat*

H. SARTORIUS. D.

**I**mprobitas lymphata furit , crudeliaque arma  
 Crispat , & innocuo sanguine foedat agros.  
 Stat nocuisse aliis , animumque expleffe furore,  
 Et vulgi plausum promeruisse juvat:  
 Prò cœcas hominum mentes ! proh flebile sæclum !  
 Crimina virtutum splendida larva tegit !  
 Involat effreni præcox quoscunque tumultu,  
 Ulicet Alcidi se putat esse parem.

Fulmi-



Fulmineas alius doctus vibrare farissas  
 Intumet, & dira sperat ab arte decus.  
 Crudeles animæ rigidos deponite mores,  
 Exu sævitiam gens rabiosa trucem.  
 En Themidos, legumque minas, en viacla crucemque  
 Promptaque præfractum plectere rostra nefas.  
 Discite justitiam moniti, metuisse Lycurgos  
 Et quæ detonuit verba Severa Solon.  
 Ut fremit indignata cohors. Tu vertice celfo  
 Temne minas, venient nomina magnatibi.  
 O Decus ô Germane meum, dic jura scelestis.  
 Dic leges, agili personet ore Themis.  
 Hei mihi præfenti quòd non licet esse, viderem  
 Præcinctum ramo nobiliore caput.  
 Vota tamen quid ferre vetat? Preme gnaviter ausa  
 Et titulos titulis & decori adde decus.  
 Ingeminent læti Patrio sub Sole Quirites  
 Se nunquam tanto velle carere viro.

*Dab. Argentorati,  
 29. Jan. 1685.*

*Sic  
 Corpore licet absente animo tamen præfente Fratri suo  
 charissimo gratulari voluit  
 DIETER. WILH. HERSCHEMAN.*

## SONNET.

QUand tout ravy je pense à cette vive source  
 D'eloquence & de loix, de tout aùtre sçavoir  
 Qui par dessus les grands, grand te font apparoir  
 Je dresse incontenent vers toy *Herschman* ma course  
 Mais aussitôt craintiff, mon chemin je rebrouffe  
 Quand je viens à juger, privé de tout espoir,  
 Mon defect naturel, & crains de ne pouvoir  
 Trouver en mes desseins ny effet, ny ressource  
 Toutes fois de tes yeux l'agreable douceur,  
 Tes propos pleins de miel me font reprendre coeur,  
 Et ta tendre amitié rentrer en èsperance  
 Rasseure moy *Herschman*, permets qu'en te louant  
 J'exprime de mon coeur le desir violant  
 Que j'ay de voir ainsi eclater ta science.

*Ce sonnet est pour feliciter Monsieur *Herschman*, & pour luy temoigner  
 la joye que je ressents de luy voir prendre ses licences  
 NICOLAS GODEFROY, d'Ogny maistre ordi-  
 naire de la langue françoise, en l'illustre Academie de Marbourg.*

F I N I S.




X 261.5939


Kon











DISPUTATIO INAUGURALIS <sup>28</sup>  
JURIDICA <sup>21</sup> 1685, 3.  
*De*

# HOMICIDIIS,

*Quam*  
Sub praesidio Divini Numinis

E X  
DECRETO & AUTHORITY  
MAGNIFICI EXCELLEN-  
TISSIMI & AMPLISSIMI ICTORUM OR-  
DINIS IN ILLUSTRIS ET CELEBER-  
RIMA MARBURGENSIUM  
ACADEMIA,

P R O  
*Summis in utroq; jure honoribus ac privilegiis Doctoralibus  
rite obtinendis,*  
Publicae ac solenni DN. PROFESSORUM  
censurae

*In Augusto Ictorum Collegio submittit*  
JEAN MATTHIAS  
HERSCHEMAN,

Ravensbergâ-Westphalus.

*Ad diem Febr. ANNO 1685.*

*Marburgi Cattorum,*  
Typis JOHANNIS HENRICI STOCKENII.

